




DE
CONSOLATIONE
AD EPISCOPOS.

DE CONSOLATIONE AD EPISCOPOS

SUB

Analogia Episcopatus, & Martyrii

AUCTORE

VEN. FR. JOSEPHO A S. MARIA DE SEBASTIANIS

Ex Ordine Carmelit. Discalc. olim Episcopo Hyerapolitano, deinde Bisinianensi; ac demùm Tifernate:

OPUS

Nedùm Episcopis, sed etiam omnibus Prælatis, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus utile iterum in lucem æditum,

AC PROFUNDA VENERATIONE DICATUM

Illmo, ac Rmo Dno, Dno Colmo

PETRO FRANCISCO LAFITAU


Episcopo Sistaricen., ac Christianissimi Regis Consiliario, ejusque, ac totius Regni Negotiis apud Sanctam Sedem Præposito.



ROMAE, ex Typographia Rocchi Bernabò. MDCCXX.

SUPERIORUM LICENTIA.





Ill.^me ac Rev.^me Præsul.



D*E triumphantis Carmeli latebris, in militantis iterùm Ecclesiæ faciem redivivus exurgit Ven. Fr. Joseph à S. Maria de Sebastianis, ut Catholicos Antistites roboret ad martyrium. Quemadmodum ingens fuit suæ charitatis ingenium Ecclesiasticæ olìm Prælaturæ ærumnas detegere, ut Episcopatum martyrium*

asse-

assereret; & Coepiscopos suos, regiminis curis cruentatos martyres aut nuncuparet, aut faceret; Ità decuit, ne tot Ecclesiæ militantis Heroibus deperiret solatium, ipsos evocare consolatoris Cineres, ut iterùm sub Prælo gementes, gementium Prælatorum lachrymas pio conatu detergerent. Ut itaque merito excipiatur plausu, ac uberiores consolationis fructus exhibeat, patiaris oportet Illustrissime, ac Reverendissime Praesul, *ut sub tuis auspiciis, obsoletum jamdudùm vetustate opus reviviscat. Quæ enim de sacro cætu Ven. Soc. Jesu ad sacras Te Sistaricenses Infulas assumpsere; Quæve ad Christianissimi Regis Solium, sive, ut à Consiliis adstares, sive ut in Urbe apud S. Sedem Apostolicam illius, ac totius Regni negotiorum Præposituram gereres, de religiosa solitudine vèl invitum evexere; Insigne hoc*

meri-

meritum, hæc in rebus agendis eximia Prudentia, commendabilis hic labor, Pietatis ſtudium, Zeli ardor, Vigilantiæ diſciplina, ac heroicæ prorſus honeſtatis decus (ut cætera, juſſus, omittam, quibus altiùs tuam provocaſſem modeſtiam): Hæc inquam omnia, ut Te in novâ præinſerti operis editione Patronum expoſtularem ſuaſere. Habebunt itaque in eo Catholici Antiſtites in preſſuris ſolatium, ac in Te undequaque opportunum imitationis exemplar. Ipſe, compaſſionis, ac piæ directionis reperies meritum; ac ego ambitæ totiès ſervitutis gloriam nanciſcar; cujus honorem ut conſequar, ſumma veneratione cenſeri volo.

D. T. Ill.^mæ^, ac R.^mæ^

Indignus, ac Obſequentiſs. Servus,
Fr. Euſtachius à S. Maria Carmelit. Diſcalceat.

Im-

Imprimatur.

Si videbitur Reverendiſs. P. Magiſtro Sac. Palatii Apoſtolici.

I. de Angelis Archiepiſc. Urb. Viceſg.

EX commiſſione Rmi P. Dominici Mariæ Puteobonelli Magiſtri Sac. Palatii Apoſtolici legi Opus inſcriptum: *De Conſolatione ad Epiſcopos ſub Analogia Epiſcopatus, & Martyrii: Auctore Fr. Joſeph à Sancta Maria de Sebaſtianis ex Ordine Carmelitarum Epiſcopo Tifernate*: atque eximiam Illuſtriſſimi, ac Reverendiſſimi Præſulis ſapientiam, pietatem, prudentiam, & eruditionem admiratus ſum: neque ſolùm utiliſſimum, ſed maximè neceſſarium exiſtimo omnibus illis, quos Spiritus Sanctus poſuit Epiſcopos, & Paſtores regere Eccleſiam Dei; ut poſſint ſe ipſos conſolari in tot laboribus, perſecutionibus, afflictionibus, & anguſtiis, quas ſecum affert regimen Eccleſiarum, præſertim calamitoſis his temporibus, in quibus, qui ritè munere ſuo fungi volunt, & ſi gladius perſecutoris eos non auferat, palmam tamen Martyrii non amittunt.

Ludovicus Marraccius è Congregatione Clericorum Regularium Matris Dei, SS. D. N. Innocentii XI. à Confeſſionibus.

Imprimatur.

Fr. Dominicus Maria Puteobonellus Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter, Ordinis Prædicatorum.

BRE-

BREVIS ENARRATIO
IN VITAM AUTHORIS.


En. Fr. Joſeph à S. Maria de Sebaſtianis, in ſæculo Hieronymus; piis, honeſtiſque Parentibus ortus eſt Caprarolæ apud Ciminos, triginta circitèr ab Urbe milliariis, die 21. Februarii 1623. Ejus pueritia non omninò caruit futuræ pietatis indiciis. Etenim cum aliquandò unà cum Patre Carolo ad campum exiſſet, dormientis pueri collum eximiæ magnitudinis anguis adeò circumdedit, ut jam ejus vita deploraretur. At B. Virgo à Caroli precibus invitata, ab illis vinculis puerum liberavit, ſerpens enim ſpontè receſſit. Adoleſcentior factus; Viterbium primùm, poſteà Romam, ſtudiorum causâ miſſus, apud Collegium Societatis Jeſu, multùm humanis litteris, ac Chriſtianâ pietate profecit. Vocatus deindè ad Sac. Genitricis Dei Vexillum, inter Carmelitas Diſcalceatos humillimè poſtulavit annumerari. Sed bis, ad experimentum vocationis rejectus, tertiò demùm, ut Superioribus Ordinis, ſuæ conſtantiæ normam exhiberet, capitis comas ex-templò recidit; Quo

facto commotus Prior ad sacrum admisit habitum, quem die 3. Martii 1640. ætatis suæ decimoseptimo, magnâ cum spiritus alacritate suscepit. Inter filios Virginis cooptatus, mirum, quantùm in religiosis profecit virtutibus; quadere, emissâ vix solemni professione anno 1640., eo petente, missus est in Germaniam à P. Præposito Generali, & longè à domesticis suis, (quos loco inimicorum spiritualis profectus habebat) Deo, ac consuetis religionis studiis liberiùs vacaret. Collocatus itàque in Conventu Græcii, Philosophiæ, ac Theologiæ operam dedit. Sed non adhuc consuetum studiorum cursum impleverat, cùm à Superioribus Ordinis missus fuit in Hungariam expediendi gratiâ quoddam Congregationis negotium, quod fæliciter implevit.

Sed defuncto jam Carolo ejus germano fratre, non nisi coactus obedientiâ, reversus est ad Provinciam Romanam, & Prælectoris Philosophiæ officio decoratus, Caprarolæ, deindè Interamnæ collocatus est, & deniquè Romam accersitus anno 1654., ut Sac. Theologiam legeret, suum ibi munus, nulli secundus gessit.

Obortâ interim quâdam schismaticâ seditione apud Serram Malabarium, ob nefariam Archidiaconi Thomæ de Campo intrusionem in Archiepisco-

piſcopatu Angamalenſi, Alexander Septimus, qui in locum ſa.me.Innoc.X. nuper ſucceſſerat, Fratrem Joſephum Commiſſarium Apoſtolicum deſignavit ad Indias Orientales anno 1656., ut Schiſmaticorum, & Hæreticorum audaciam compeſceret. Eò itaque cum pervenerit, opus injunctum ſummâ vigilantiâ, ac religionis Zelo peregit; adeo ut plures, ac plures Eccleſias, quæ jampridem ab unitate defecerant, etſi adverſantibus ſæculi Principibus, ad Romanæ Eccleſiæ obedientiam reduxerit. Romam reverſus, placuit Summo Pontifici, ut iterum ad Malabarium Serram remearet; quamobrèm eum creavit Epiſcopum, & licèt ob duplex, quod emiſerat votum humilitatis, (alterum commune; & ſolemne, alterum proprium, & ſimplex) toto conatu reluctaret, juſſus tamèn eſt privatìm in Cappellâ Pontificiâ, diſpenſante Pontifice conſuetos ritus, in Epiſcopum Hierapolitanum conſecrari, die 14. Decembris 1659.

Hoc carac̃there, quâ par eſt reverentiâ inſignitus, iterùm peragravit ad Indos, ibique cęptum opus, Domino ſpecialitèr favente, mirâ ſedulitate perfecit; Eccleſias omnes illius numeroſæ Chriſtianitatis ad Eccleſiæ unitatem reduxit; Intruſum Pſeudo-epiſcopum, ejuſque fautores, & aſſeclas anathemate condemnavit. At quia à Batavis, Ca-

tholici nominis hoſtibus, Cochino olìm potitis, à Malabarium Serra expulſus eſt, creditam ſibi Provinciam diutiùs adminiſtrare non valuit; ſed illi Vicarium, & Præſidem reliquit Alexandrum de Campo, quem Apoſtolicâ, qua fultus erat, authoritate, Epiſcopum Megarenſem conſecravit.

Hac de re loquens Curſus Salmanticenſis moralis tract.8. cap.4. num.8., & agitans eam quæſtionem, an Præſentia trium Epiſcoporum in conſecratione Epiſcopi ſit de eſſentia hujus ordinationis, & partem negativam defendens ſubdidit, ibi -- *& quamvis aliqui, hæc, aut ſimilia in dubium vocare, aut negare non vereantur: nihilominus plus quam certum nobis eſt, noviſſimè id factum fuiſſe ſub Alexandro Septimo 1663. 31. Januarii; ſiquidem Illuſtriſſimus D. Joſephus à S. Maria ex Ordine noſtrorum Carmelitarum Diſcalceatorum, Epiſcopus quondam Hierapolitanus, & modò Calabriæ &c. Delegatus 1660. in Regna Malabrica Indiarum Orientalium, ut maximam Cleri, & Chriſtianitatis Serranæ partem ad Eccleſiæ Catholicæ unionem reduceret, tandèm laboribus emenſis innumeris, authoritate Apoſtolicâ depoſito, & excommunicato Intruſo ſchiſmatico Epiſcopo: ſe ſolo, aſſiſtentibus dumtaxàt duobus Presbyteris Luſitanis, ſed tàm Chriſtianorum, quàm Schiſmaticorum multitudine*

infi-

infinitâ, in Civitate Carturti consecravit in Episcopum de Megarâ Parochum quemdam D. Alexandrum de Campo: sicque ope, gratiâ, & facundiâ admirabili Illustrissimi D. Josephi, & aliquorum ex nostris, virtute, & doctrinâ præstantium, quamplurima hominum millia ad Ecclesiæ Romanæ gremium gloriosè reducta fuerunt, &c.

Serrâ itaque exul, Goam se contulit Ven. Episcopus, ubi per plures menses permanens, multa operatus est in Fidei Catholicæ propagationem, S. Romanæ Sedis obsequium, & proximorum salutem; sed & indè ob Statistarum, ac Politicorum suspiciones dimissus, per Regiones Persidis, Romam iterùm se contulit. Benignè ab Alexandro VII. exceptus, parvo interjecto temporis intervallo, iterùm ab eodem designatus, & missus est anno 1666. Visitator Apostolicus Insularum Maris Ægei, ac Jonii; cui muneri, æquali semper vigilantiâ, pastorali fortitudine, ac zelo per annum incubuit, & sequenti demùm, qui fuit rep. sal. 1667., Sede vacante per obitum memorati Pontificis; Romam repetiit.

Clemens IX. cui apprimè charus fuit, eum Ecclesię Bisinianensi in Calabria pręfecit, suasitque, ut Ecclesiæ redditibus se substentans, Romæ maneret. At ille vix Ecclesiæ possessionem (satis reluctans)

nactus

nactus, maluit se sponsę conjungere, & statim, Româ discessit. Laudabili prorsus vigilantiâ commissam Diæcesim, quæ ob decrepitam Prædecessoris ætatem, se ipsam corruperat, reformavit; Clerum, ac Populum humilitate simul, ac paterno zelo adeò sibi adstrinxit, ut numquam jucundiores, quam sub tanto Præsule, sibimetipsis viderentur. Pauperum, præsertìm Viduarum, Pupillorum, ac Virginum inopiam semper levavit; Paterque proindè omnium juremerito dictus, à divitum extorsionibus Apostolicâ fortitudine protexit. Episcopalem mensam redditibus auxit, & longè plus auxisset, nisi post quinquennium, (defuncto jam sa.me. Clemente IX. ejusque in locum suffecto Papa Clemente X.) ad eximendum ejus Zelum à periculis, quæ ei imminebant, translatus fuisset (semper tamen invitus) ad Ecclesiam Typhernaten. in Umbriâ anno 1672.

Hujus ergo Cathedralis curam suscipiens die 15. Octobris sub auspiciis Seraphicæ Virginis Matris suæ Theresiæ; istam quoque Diçcesim non sinè maximis labore, & incommodis reformavit. Plures contrà ipsum, sivè à Capitulo Cathedralis, sive à Magistratibus obortas lites, heroicâ substinuit constantiâ, ac felicitèr superavit. Haud semel, ne justitiæ leges violarentur, ob executorum penuriam,

curso-

cursoris munus gerere non dubitavit. Gregem suum evangelicæ doctrinæ pabulo frequenter reficiebat, solemnibus præsertìm diebus. Singulis quibusque annis, edictis, epistolis, ac monitionibus tepidos roborabat, servabat calidos, ac frigidos fovèbat. Pluries Diæcesanam Synodum convocavit; bis, aut ter, earum decreta imprimi fecit. Pauperum, ac orphanorum patrimonia Locis piis addicta, totâ integritate custodiri jussit, ne quid minimum in eorum damnum periret. Potentium violentiis fortitèr restitit; Clerum sædulò dilexit, ac Populum: sæpè nosocomia, ac infirmorum domos invisit, ac in agone constitutis præstò aderat. Templorum munditiem, ac reverentiam rigidè exegit. Plura ædificia sacra, vel instauravit, vel à fundamentis extruxit, plerumque propriis sumptibus, adeout prodigium videretur, quomodò depauperata nimis Episcopalis mensa, tot eleemosynarum, ac expensarum incommodis, nedùm non succumberet, sed contrà magis in dies redditibus augeretur. Nulli proindè Pauperum denegavit eleemosynam, quinimmò, & in notabili quantitate pecunias in eorum insumebat levamen.

Institit sæpiùs, quantùm potuit, apud Summos Pontifices pro licentiâ redeundi ad Claustrum, & præsertìm ad Sac. Montis Virginei Eræmum,

ma-

malens ibi latitare, quàm super candelabrum positus omnibus prælucere. Numquam voti compos effectus, suæ, ac meæ Religionis quantùm sibi fas erat, observantiis studuit conformari. Quamvis ægrâ semper, ac infirmâ valetudine, à carnibus abstinuit, vilibus, & quibus nos vescimur, cibis contentus. Quotidiano jejunio, ciliciis, ac catenulis, nedum laneâ tunicâ, carnem continuò domuit, etsi cutis, elephantiasis crustulis cruentaretur. Singulis penè noctibus, flagellis corpus affligebat. Ad matutinas horas, mediâ nocte surgebat, quas recitabat genuflexus: & has humanitatis afflictiones numquam intermisit, nisi à Confessario, & Medico jussus. Plures scripsit libros, inter quos hunc de Consolatione ad Episcopos, quem sa.me.Innocentio XI. sacravit. Fertur, istum Pontificem dixisse P. Ludovico Maraccio Ord. Cler. Regul. Theat. olìm suo Confessario, de Ven. Episcopo -- *Habemus sanctum Episcopum; utinam omnes Episcopi essent ejusmodi!* Anno denique rep.sal.1687. cum scripsisset librum cui titulus *Philolete*, elephantiasi convalescens, vigiliâ morbosa correptus est; qua per annum circiter, & dimidium diu vexatus; mirum, quantâ patientia, & ęquanimitate toleràvit ejusdem morbi molestias. Postquam irreparabilem novit morbi acerbitatem, Sacramentis Ecclesiæ voluit roborari.

Dum

Dum Sacram Euchariſtiam per viaticum ſumpſit, advocari fecit Capitulum Cathedralis, Clerum, ac Magiſtratum, pro horâ certâ. Genuflex us in ſua Cappella veniam ab omnibus illis petiit, preces imploravit; & actu inaudito humilitatis, omnia, quæ forſan dixerit, aut fecerit contra proximorum famam, alacriter retractavit; non ſine uberibus circumſtantium lacrymis, qui ad tantum humilitatis argumentum obſtupuere. Ex indulto ſa.me. Innocentii XI. teſtatus eſt de certa portione ad favorem noſtri Seminarii S. Pancratii, & ſpecialiter in ſubſidium Miſſionis Malabarium; & omnia, quæ habuit conſignavit duobus Canonicis Cathedralis, quos ab onere redditionis rationis per ſpeciale chyrographum abſolvit; ſeque veluti mendicum ab iis ali poſtulavit, ut dicere veriùs poſſet *nudus egreſſus ſum &c.* Mandavitque, ut ejus Cadaver, vel in ſepulchro publici Hoſpitalis tamquam pauper tumularetur, vel ad portam Cathedralis, ut ab introeuntibus, & exeuntibus conculcaretur. Concinnatâ ad hoc opportunâ epigraphe ſepulchrali in hunc modum. *Folium*

De Reformati Carmeli Sylva
Per orbem à vento raptum
Oviumque pabulo ubique noxium,
Et ſub hoc tandem lapide clauſum
pedes hominum conculcate.

Per ſemeſtre ante obitum quaſi præmonitus demortis die, dicere ſolebat, ſe (ut ſperabat) de hac vitâ migraturum, aut in die feſto B.M.V. de Monte Carmelo die 16. Julii, aut 15. Octobris in feſto S. Matris noſtræ Thereſiæ. Quatuor antè ejus obitum menſibus, ſcrupulis, ac tentationibus adeò moleſtis oppreſſus eſt, ut in continuo, gemere videretur martyrio, quibus ſcrupulis dum unâ die præ ceteris, hoc eſt octava Auguſti 1689., vehementiùs angeretur, rogavit domeſticos, ut pauliſper ab ejus Camera recederent, ipſeque prolixiùs oravit, meruitque eâ in oratione de ſui æterna ſalute certiorari; unde revocatos domeſticos, de promiſſo admonuit, & unà cum illis hymnum *Te Deum* devotè recitavit: & ex tunc receſſerunt ſcrupuli, & tentationes.

Dæmon quoque ejus patientiam provocavit, dum ſub ſpecie ſui Confeſſarii, fortaſſe, ut ad deſperandum induceret Ven. infirmum exagitavit. Sed & jam propè mortem ipſius voluit conſtantiam veluti coronare S.N. Mater Thereſia, cujus viſione fruebatur; abſcondendo nempè ſe ab illo, non ſinè maximo incremento doloris. Die demum 14. Octobris 1689. urgentibus febribus, repertus eſt à Medicis omninò viribus deſtitutus, adeoque iterata ſunt Eccleſiæ Sacramenta. Ille autem jam propè

tranſi-

transitum accersiri fecit suum Vicarium Generalem, illumque monuit, ne, tempore viduitatis Ecclesiæ Cathedralis tepescerent Monialium fervores, & quod illicò revocaret ad residentiam quosdam Parochos absentes, ne eorum oves perirent. Die tandem 15. Octobris in festo S. M. Theresiæ hora 21., sicuti speravit, ac prædixit, defunctus est. Post mortem plura de fama sanctitatis illius dicta sunt, & plures ejus intercessionem implorantes exaudiri meruerunt.

Hæc omnia prolixiori longè calamo descripsimus in Hystoria, quam typis mandavimus anno elapso 1719. sub auspiciis SS. D.N. Clementis PP. XI., quem Deus diu servet incolumem.

Protestatio Authoris.

CUm fa. me. Urbanus Papa Octavus die 12. Martii 1625. in Sac. Cong. Sac. Rit., & Universalis Inquisitionis Decretum ediderit, idemque confirmaverit die 5. Junii 1634. quo inhibuit imprimi Libros Hominum, qui Sanctitate, seu Martyrii fama celebres è vita migraverunt, gesta, miracula, vel revelationes, seu quæcumque beneficia tamquam eorum intercessionibus à Deo accepta continentes, sine recognitione, atque approbatione Ordinarii, & quæ hactenus sine ea impressa sunt, nullo modo vult censeri approbata. Idem autem Sanctissimus die 5. Junii 1631. ita explicaverit, ut nimirum non admittantur elogia Sancti, vel Beati absolutè, & quæ cadunt super Personam, benè tamen ea, quæ cadunt super mores, & opinionem; cum protestatione in principio, quod iis nulla adsit auctoritas ab Ecclesia Romana, sed fides sit tantum pe-

nes auctorem. Huic Decreto, ejusque confirmationi, & declarationi observantia, & reverentiâ, quâ par est insistendo positeor, me haud alio sensu quicquid in hoc Libro refero, accipere, aut accipi ab ullo velle, quam quo eâ solent, quæ humanâ dumtaxat authoritate, non autem Divina Catholicæ Romanæ Ecclesiæ nituntur, iis tantummodò exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum fastis adscripsit.

Fr. Eustachius à S. Maria Carmelita Discalceatus.

Reimprimatur,

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

T. Episcopus Heracleæ Vicesg.

Reimprimatur,

Fr. Gregorius Selleri Sac. Apostolici Palatii Magister Ordinis Prædicatorum.

IN-

INDEX CAPITULORUM,


Quæ in hoc Opere continentur.

Cap.

Cap.



OPE-



OPERIS LEMMA.



EMERARIUM fortè videbitur, quod Ego, minimus Episcoporum, & qui non sum dignus vocari Episcopus; solari audeam Dominos Coepiscopos meos; qui, vel nullâ pressi adversitate, solatio non indigent; vel summâ virtute præditi, adversitatem non sentiunt: &, si sentiunt, egregiæ fortitudinis, & magnæ consolationis argumenta, & exempla, infracti, & imperterriti exhibent. Verùm, temeritatis suspicio evanescet; si animi mei propositum hac in re innotuerit: quod utique aliud non est, quam parare futuris Episcopis, turbulentissimæ, (ne dicam, miserrimæ), Dignitatis afflictionibus non dum expositis; patientiæ, mansuetudinis, & longanimitatis præsidia, in hoc ipso ad eosdem de Consolatione libello. Accedit etiam, quod in hoc opere me potissimum solari voluerim, vel

preſſuris imparem, vel extremè defatigatum: Sciebam enim, optimum diſcendi genus eſſe, docere; Pharmacumque præſtantiſſimum fieri ab eo, qui, non tam alijs, quam ſibi, illud miſcet, & præparat.

Ut ergò ad rem propiùs accedam; hoc mihi primùm demonſtrandum videtur: Epiſcopos, nempè, in eo ſtatu reperiri, ubi ſolatio ſummopere indigeant; ne gratis, vel otiosè ſatagam, eos conſolari, quos adverſitas nulla conturbat. Id autem perfectè monſtrabo; ſi clarè oſtendero, Epiſcopatum ipſum quodammodo eſſe Martyrium; quinimò, & omnium Martyriorum genera in ſe per quamdam ſimilitudinem continere. Ità enim, tam congruè me de Conſolatione ad Epiſcopos ſcripſiſſe conſtabit; quam aptè alios id ad Martyres effeciſſe perſpicuum eſt. Hanc ergo Analogiam anteà firmabo, firmatamque ſubindè proſequar; præbiturus ubique idoneum pœnæ ſolatium.



DE

DE CONSOLATIONE
AD EPISCOPOS
SUB ANALOGIA EPISCOPATUS. ET MARTYRII.

AUCTORE

VEN. FR. JOSEPHO A SANCTA MARIA DE SEBASTIANIS,

Ex Ordine Carmelitarum Discalceatorum, olim Episcopo Hyerapolitano; deinde Bisinianensi; nunc verò Tifernate, seù Civitatis Castelli.

OPUS

Non tantùm Episcopis, sed etiam quibuscumque aliis Prælatis, tàm Sæcularibus, quàm Regularibus, curam Animarum habentibus, Utile.

CAPUT I.

Quod Episcopatus Martyrium suo modo sit.



A Græcis Latini mutuantur Martyrii nomen, quod testimonium significat: & apud nos pro eo usurpatur, quo quis pro Christi fide tuendâ sanguinem, vitamque profundit. Adeò verò necessarium est pro hujusmodi tuitione, seù confessione, mortem oppetere; ut absque illa verum Martyrium esse non possit; nisi quis divi-

nitus (juxtà multorum ſententiam) ab ea liberetur; inflićto jam mortali vulnere, vel illatâ per fidei hoſtes eâ vi, ex qua naturaliter mors ſequi deberet. Non tamen opus eſt ad Martyrii coronam, ut quis directè in odium fidei ſupernaturalis occidatur; ſed ſufficit (juxtà commune Theologorum placitum) quod id patiatur pro quacumque virtute tuendâ; vel pro quocumque peccato vitando, propter Chriſtum; cum totum hoc ad ejuſdem fidei proteſtationem pertineat; quæ bonum imperat; vel conſulit; & malum vetat: nec minus confitentur fidem illius monita facto exequentes; quam ejus documenta diſertè docentes.

Licèt autem ad verum, & rigoroſum Martyrii genus mors corporis (ut dictum eſt) omninò pertineat; non tamen à ratione ſpiritualis, & metaphorici Martyrii excludi debent illæ pœnæ, quæ abſque corporis nece mentem, animumque diriſſimè lancinant. *Hic* namque *gladius Beatiſſimæ Virginis Animam pertranſivit*: & non modò Martyrem; ſed, & Martyrum Reginam effecit. Hinc eſt etiam, quod Mater Eccleſia in Divi Martini Feſto proclamat: *O Sanctiſſima Anima, quam, etſi gladius Perſecutoris non abſtulit; palmam tamen Martyrii non amiſit*. Utrum verò metaphorico noſtro martyrio debeatur ſpecialis illa corona, quæ aureola dicitur, & corporali martyrio tribuitur: certum eſt ei non deberi: ſed in dubium revocari non poteſt, quin ei eſſentialis gloriæ gradus non mediocris correſpondeat. Hoc unum firmiſſimè tenendum eſt: utrumque Martyrium ſuo modo ab eiſdem virtutibus naſci; à charitate, ſcilicet, imperante; & à fortitudine quodammodò eliciente; cum utrobique oporteat, & duriſſima pati;

quod

quod ſinè aliqua fortitudine fieri non poteſt : & propter Dei,proximique amorem ea pati; quod abſque charitate, nec eſſe, nec meritum habet. Hinc eſt, quod in Evangelio dicitur: *Majorem charitatem nemo habet, quam,ut animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis*:Qui autem hoc dixit,hoc etiam aſſeruit: *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*. Utrumque idem eſt, & animam ponere, & dare; ſed majus eſt, eam ponere, & dare pro ovibus; quam pro amicis: non enim qui amici, oves neceſſariò exiſtunt; ſed oves eſſe non poſſunt, niſi amici habeantur: & plus eſt dare, ac ponere animam pro amicis, & ovibus; quam pro amicis non ovibus; cum alterum ſit Juſtitiæ opus, & charitatis; alterum verò tantummodò charitatis.

En ergo animarum Paſtores, optimi Præſules, quam verum eſt, Epiſcopatum eſſe Martyrium; exigente Paſtorali munere, ut detur prò ovibus anima; & ſi non ſemper cum morte corporis; ſemper tamen cum mortificatione ſpiritus; quæ fit per curas, afflictiones, & mentis anguſtias! Ideò Paulus Apoſtolus audacter ad Timotheum ſcribit: *Fidelis ſermo*; *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*. Hoc enim ſic explicat Divus Thomas: [a] *Si quis Epiſcopatum deſiderat, bonum opus; hoc eſt, Martyrium deſiderat.* Equidem cenſeo, id ipſum intellexiſſe Apoſtolum; interpretationemque Doctoris Angelici, non tam allegoricam eſſe, quam literalem, de vero, & corporali Martyrio: eo namque tempore Apoſtolus id ſcripſit Timotheo, quo idem erat, Epiſcopum, & hoſtiam conſecrari: Perſecutores enim Eccleſiæ Dei, qui Chriſti Fidem penitùs extinguere moliebantur; ſatis intelligebant, Paſtoribus de

[a] 2. 2. q.185. ar.1.

de medio ſublatis, oves facilè interituras: Ideoque, illos diligentiſſimè conquirebant, inventoſque ſæviſſimè trucidabant: qui verò in eorum locum ſufficiebantur, optimè notant, ſe ſtatim perquirendos ad necem: ideoque, ſi quis eo tempore Epiſcopatum deſiderabat, bonum opus, hoc eſt, Martyrium deſiderabat; & nimis citò conſequebatur. [b] *Tunc enim reſperſa ſunt ovilia* (ut ait Rupertus Abb.) *ſanguine Paſtorum; maduerunt campi cædibus Paſtorum; cruentata ſunt paſcua vulneribus Paſtorum; Sacrata eſt terra corporibus Paſtorum; ditatum eſt Cœlum animabus, quas Paſtores pro ovibus ſuis poſuerunt*. Ceſſavit poſtmodum Tyrannorũ immanitas; ſed non ideò ceſſavit Epiſcoporum Martyrium; qui ſine ferro, & ſanguine tantò crudeliùs Martyres fiunt; quanto diutiùs, profundiùſque torquentur. *Nil crus ſentit in nervo* (inquit Tertullianus) *cum Animus in Cœlo eſt*. At, animus, curis, anxietatibus, zeloque impetitus, dirè vexatur; licet crus, & nervi, totumque corpus in deliciis eſſe videantur. Corporis vita eſt ab anima; non item animæ à corpore; quod propterea lædi poteſt; at dolere non poteſt ſine anima. Extrà corpus angitur anima peccatis obnoxia, diriuſque torquetur pœna damni, quam ſenſus: ideoque planè fatendum; Spiritale Martyrium per quam longiſſimè corporis cruciatus excedere; ut ſtatim videbimus. Qui ergo Epiſcopatum deſiderat, feriò perpendat, quid ipſe deſideret. Videt infulas, famulos, currus, thronum, palatia; audit plauſus, titulos, encomia, laudes. Hæc planè circumſtant, ambiunt, decorant, alliciunt; ſed forinſecus tantùm: Intus verò ingens Martyrium; imò veriùs, omne Martyrium latet, & lacerat animæ viſce-

[b] *In Io: cap. 10. Comentar. l. 9.*

viſcera. Sit bonus Epiſcopus, ſivè malus; Martyr exiſtit. Bonum, Paſtorales curæ, ſolicitudineſque contorquent; Malum, conſcientiæ ſtimuli feriunt. Illum Dæmones, munduſque jugiter perſequuntur. Hunc autem ultor Deus perpetim, minaciterque flagellat. Alter Chriſti Martyr eſt; alter verò Antichriſti.

Ad vos, optimi Præſules jam infulati, nunc meus ſermo convertitur; & cum vos ſpirituales Martyres demonſtraverim; pro veſtra gloria, & conſolatione dirum Martyrii genus in vos expleri probabo; ut ſpiritualium nobiliſſimorum Martyrum Triumphale prœmium ibi ſperetis, quo commiſſas oves tanto labore, per invia, & aſpera, per feras, per fures, per ingenita pericula ducitis; eaſque præceditis, intus in animo diriſſimè cæſi *Dolorem vulnerum mitiget ſpes Coronæ*.

CAPUT II.

Quod excedat Corporis pœnas Animæ Tormentum.

DIxi quidem, Spiritale Martyrium per quam longiſſimè nudos corporis cruciatus excedere; ſed non ſatis probavi: quod facilè mox demonſtrabo. *Martyrem facit, non pœna; ſed cauſa* (inquit Auguſtinus) Noſſe autem cauſas, eſt arimæ; non corporis munus. Mulctatur graſſator pœnâ Martyris, ſed non ideò Martyr exiſtit; cum deſit cauſa Martyrii. Necatur in ſomno Fidelis, paratus mori prò Chriſto; & id à Tyranno patitur in odium fidei; & licet Martyrii pœnam dormiendo non ſentiat; eum tamen cauſa Martyrem facit: adeoque certiſſimum eſt; Martyrium plus animam,

mam, quam corpus afficere; illamque magis dilaniare, quam istud. Denique, tormenta omnia, quibus Nerones, Decii, Diocletiani, aliaque Crudelitatis monstra Martyres affecerunt; Belluas quoque torquere possunt; sed non tamen efficere Martyres; ex defectu rationis, quæ causas pœnarum noscat, & velit. Plus ergò mentem, quam membra Martyrium sauciat; nec ullus negabit, passiones animi crudelius sævire, quam corporis. Rex Martyrium Christus, Dei Filius, uno, eodemque tempore dum oraret in Horto, cuncta simul tormenta sustinuit; quæ pertulit subindè divisa: tantòque acrius ibi passus in animo est, ut factus in agonia, sanguine undequaque manarit.

Nec tantùm dixerim, spirituale Martyrium excedere materiale purum intensione, & extensione pœnarum; quas licèt contrarias, simul non raró patitur (ut infrà dicetur) sed etiam duratione. Martyrium etenim tunc est, cum vita per vim aufertur; nec potest quis esse verè Martyr antequam moriatur, ut cum Angelico Doctore Cajetanus affirmat; & clarè patet ex ipsa definitione Martyrii, *quod est maximum Fidei testimonium per ejus rei profusionem, quæ summè diligitur*; *qua data*, *nihil sit ultra*, *quod dari queat*: donec autem quis vivit, dici non potest, amplius non habere, quod ponat prò Religione tuenda; cum adhuc vita supersit, quam pro ea dare tenetur. Quod adeo verum est; ut difficilè Theologi explicent, quando Martyrium meritum habeat; cum non antea existat, quàm vita Martyrem privet, cumque de via eum ponat in termino, ubi non est amplius merendi locus; videtur prius promereri, quàm sit. Realis ergo Martirii duratio, si non momentanea, ut plurimùm

mùm breviſſima eſt: ſpiritualis verò ad annos protrahitur, & tamdiù torquet, & vexat Epiſcopos, quamdiù ipſorum vita perdurat, & ſolâ morte finitur; ut in Divis Athanaſio, Martino, Ambroſio, Chryſoſtomo, Carolo, & ferè in omnibus aliis magnis Præſulibus accidit. Æquè igitur verum eſt; & Epiſcopum eſſe Martyrem, & ejus Martyrium Epiſcopatum metiri, unàque ad mortem uſque durare. Hoc itaque ſpirituale Martyrium, quo ſemper Epiſcopi afficiuntur, corporale Martyrium, cæteris paribus, tàm duratione, quàm intenſione longiſſimè ſuperat. *Majus eſt vivere cum caſtitate* (inquit Tertullianus) *quam mori pro caſtitate*; Quòd ſi pro ſola fortaſſis diuturnitate certaminis hoc dicere licuit Tertulliano; liceat etiam hoc mihi dicere: *Majus eſt cæteris paribus diù cum mentis Martyrio vivere; quàm cum Martyrio corporis citò mori*. Duo tamen ſunt, quæ divexatos Epiſcopos maximè ſolari poterunt. Alterum eſt; *quod hoc habet boni aſſidua calamitas: quos ſæpè vexat, noviſſimè indurat.* Alterum verò, futuræ gloriæ majus prœmium, ſaltem extenſivè; quod utique, ſpirituali, diuturniorique Martyrio jure debetur.



CAPUT III.

Quod Episcopatus omnium genera Martyriorum suo modo complectatur.

EGregius Pater Vincentius Contenson, Ordinis Prædicatorum, in sua Theologia mentis, & cordis, ità de Episcopis loquitur. [a] *Martyres sunt Episcopi, qui Ecclesiæ, cujus sponsi sunt, amore flagrantes, & forma gregis facti, vitam suam, juxtà Tridentini, & Conc. Carthaginensis IV. decreta, componentes, modesta supellectili, & mensa, ac frugali vita contenti: humilitatis, misericordiæ, eleemosynarum, cæterarumque virtutum, quæ sunt veluti quoddam perpetuum prædicandi genus, insignibus, suo se Divino muneri ità conformes ostendunt, eâque vivendi disciplinâ fulgent; quæ meritò omnium in se oculos convertat. Martyres sunt Sacri Antistites, qui nullis illecebris emolliuntur, nullis Curiæ favoribus inflectuntur, nullis adversis perturbantur, nullis extolluntur secundis, & quasi vento quodam nullâ variarum rerum mutatione circumferuntur. Martyres sunt, si pro veritate sibi concredita tutanda, nullos defugiunt labores, nullos timent persequentium furores. Nam, ut bene dixit Augustinus, Martyr testis interpretatur: Quicumque ergo pro veritate testimonium dederit, quidquid pro testimonio veritatis pertulerit, totum ei Dominus pro Martyrio computabit.*

[a] dissr. 3. c. 2.

En, quot Martyria Episcopus, si suas partes adimpleat, uno, eodemque tempore perfert! Desunt modo Ecclesiæ persecutores; non tamen desunt Episcoporum tortores, quorum nequitiâ, & feritate carceribus man-

cipantur, ſpoliantur bonis, aguntur in exilium, infamiæ notis uruntur, damnantur ad metalla, ad naufragia, ad beſtias, ad præcipitia, ad crucem, ad ignem, ad gladium, adque cæteras pœnas, quibus olim antiqui Martyres afficiebantur; ita ut nullum fuerit genus tormenti, quo eorum corpora vexabantur, quod Epiſcoporum animas ſpiritualiter dirè non torqueat. Nec unum tantùm, aut alterum tormenti genus Epiſcopi uno tempore ſuſtinent, ſed quandoque plura, & non rarò ferè omnia ſimul patiuntur. Hoc Divo Paulo Apoſtolo, Epiſcoporum nobiliſſimo exemplari, ante martyrium corporis in animo ſæpiſſimè contigit, coactus aliquando exclamare: *Foris pugnæ, intus timores: quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Quibus, quantiſque pœnis credimus ejus animam fuiſſe dilaniatam, quando faſſus eſt, ſe tot, tantiſque anguſtiis arctari, *ut tæderet eum etiam vivere?* Si hoc non ſemel accidit Apoſtolorum fortiſſimo, qui anxiè cupiebat diſſolvi, & eſſe cum Chriſto: quid cæteris Apoſtolis non rarò contigiſſe putamus? Eja, Illuſtriſſimi Præſules, locum Apoſtolorum tenemus, eorum quoque ſortem ſubire opus eſt. Hanc ipſi hæreditatem nobis reliquerunt, ſi reſpuimus, hæredes non erimus. Planè indignum, Apoſtolorum officium habere nos velle, & recuſare martyrium. Ipſorum paſſiones, paſtoralis muneris ſunt documenta: boni Paſtoris debitum eſt, pro ovibus animam dare: qui non dat, non eſt bonus Paſtor. Non ſufficit, velle dare, non ſatis eſt hoc animi præparatione complere: dare opus eſt, vel per ſanguinis effuſionem, vel per animæ paſſionem, quandiù alterutrum abeſt; Paſtor bonus non eſt, qui, ut ſemper bonus exiſtat, ſemper animam dare tenetur, hoc pacto

ſaltem, ut numquam animam ſuam ſinat ovium intenſiſſimâ curâ oblivisci, qua peramanter urgeatur ſimul, & torqueatur. Quam benè Divus Carolus Borromæus Epiſcoporum ſpeculum, Epiſcopum illum, & literis, & nuncio, & coram, acriter repræhendit; qui ſe quietiſſimè degere in ſua Diœceſi, & nulla perturbatione ſollicitari jactabat, indigniſſimum putans, eum quam maximis curis non angi, cui de animabus Chriſti ſanguine redemptis, cuſtodiâ ſibi concreditâ, judicium planè duriſſimum imminet. Quid, ſi una tantum illarum, quid ſi plures ejus culpâ diſpereant? Certè, prò auri, gemmarumque depoſito valdè ſolicitus eſſet: quid nì ergo pro animarum theſauro longè plus anxietur, quem non ſatis eſt à furibus cuſtodire, ſed, & quam maximè excolere, quinimò, & augere, opus eſt! Epiſcopatus, non perfunctoriè, non ſegnitèr eſt pertractandus, ſed totâ prorſus animi intentione gerendus. Sanctus Malachias, electus in Hiberniæ Primatem, dum conſecrandus ad Eccleſiam raperetur: *Ad mortem me ducitis* (ait) *ſed obedio ſpe martyrii*: putans, Epiſcopatum ſibi fore martyrium, nec abſque martyrio ullatenus geri poſſe. Hac de cauſa magnus Baſilius ab eloquentiſſimo Nazianzeno dictus fuit: [b] *Citra ſanguinem Martyr*.

[b] *in orat. de laudib. Pauli*.

Quidam Colonienſis Archiepiſcopus, & Sacri Elector imperii, cum quadam die venatum iret, magnâ equitum, famulorum, canumque ſtipatus catervâ, in argutum ſenem offendit, eumque agricolam, qui, cum genuflexus, ſtivæ innixus, ab eo benedici expectaret, quaſi mirabundus caput movebat. Interrogavit eum Præſul, cur ſic obſtupeſceret? Cui Ruſticus: *Miror* (inquit) *noſtrarum Epiſcopum animarum tanto apparatu*,

tu, relictis ovibus, feras venari! *Erras fili* (subjunxit ille) *non modò Episcopus ego sum, sed etiam, & Princeps, & magnus Princeps Imperii. Hanc ergo venationem, non ut Episcopus, sed ut Princeps indixi. Optimè quidem* (subjunxit Agricola) *sed veniam da, & Rustico, & curioso, dubiumque mihi solvere ne dedigneris. Dic audacter* (respondit Antistes) & ille: *Si Archiepiscopus* (ait) *Coloniensis in Infernum ex Dei Judicio trudatur; quonam ibit Princeps Imperii?* Tunc amarè subrisit, Præsul, & Princeps, admotisque calcaribus equo, suo abscessu planè docuit, eò iturum Principem, quò iret Episcopus; fallacesque hujusmodi præcisiones in Ecclesiæ Prælatis minimè valere; vel saltem in eis prævalere debitum Præsulatus, cuicumque gradui, seu muneri longè minori. Non oportet martirii pœnas, aut fugere, aut profanis occupationibus delinire. Videte, quid umquam fecerint boni Episcopi, quos imitari summopere decet, non alios intueamini, quos fortè vanitas, aut levitas dementavit: haud enim movere nos debet, quod ab aliquibus perperam fit, sed quod ab omnibus jure, meritoque faciendum est. Quid præstitit Christus, Episcoporum, Præsulumque omnium Pastor, & Prothotypon? Non deerant in ipso plurium, maximarumque dignitatum jura, & tituli; semper tamen Crucem ferendo, martyrium pertulit; & nos quoque illud quotidiè perferre docuit, & jussit. Hoc profectò magnum solatium est, Dei Filium, & præcepisse, & pertulisse martyrium.

CA-

CAPUT IV.

De eodem Argumento.

TOt ſunt mala, & tam magna, quæ Præſulum animas circumdant, obſident, premunt, flagellant, exulcerant, dilacerant, & perfodiunt, ut aliquantò prolixiùs de illis in genere agendum ſit; ne mole, aut numero, primo aſpectu minora videantur, quàm utique exiſtant. Non enim oportet, Medicum, aut Chirurgum infirmi curam aggredientem, morborum, & ulcerum quidquam latere, vel ignorare ſymptomata: ne pharmaca, & cataplaſmata, & alia remedia minus idonea, corporibus, membriſque affectis adhibeant. Quinimò, & ſicuti in bello tyronibus, & in mari primò navigaturis, opus eſt, prævidere incommoda, ærumnas, pericula, & cætera mala, quæ in armis, & in aquis reperiuntur, nè, reperta, ignaros, aut deterreant, aut obruant (ut fieri ſepiſſimè vidi): ſic etiam quidquid pœnarum ſub Infulis latet, futuris, noviſque Epiſcopis aperiendum eſt; ne poſtea non præviſum, aut ſævius feriat, aut penitùs necet.

Non modò ſacri, ſed prophani etiam Magiſtratus rem communem, & publicam gerunt; ideoque infinitis, & inceſſantibus malis expoſiti ſunt: inquit enim Cicero prò Sexto Roſcio; quod *prò communibus commodis adeundæ ſunt inimicitiæ; ſubeundæ ſunt tempeſtates; & cum audacibus improbis, etiam potentibus, eſt dimicandum.* Hoc ſentit Ethnicus de magiſtratu, & præfectura ſæculari: quid ergo Chriſtianus judicare debet de præſulatu ſa-

à Epiſt. 148. di. 40. cap. ant. om.

ſacro, & planè Divino? Reſpondeat Auguſtinus: [a] *Nihil eſt* (inquit) *in hac vita difficilius, laborioſius, & periculoſius Epiſcopi officio, ſi ſedulò ac fideliter exerceatur.* Nuſquam ergo in rebus humanis reperiri poſſunt implicatiores difficultates, duriores labores, & immaniora pericula, quàm in Epiſcopatu rectè adminiſtrando. His malis facto agmine impetebatur Ambroſius, quandò ſcripſit ad Sororem. [b] *Si Imperator peteret à me, quod meum eſſet, fundum meum, argentum meum, jus meum: me nunquam, refragaturum reſpondi. Verùm, quæ Divina ſunt, Imperatoriæ Majeſtati nequaquam eſſe ſubjecta. Si patrimonium petitis; incendite: ſi corpus, libenter occurram: ſi vultis in vincula trahere, trahite: ſi vultis in mortem rapere, rapite. Non ego me vallabo circumfuſione populorum, non Altaria tenebo, vitam obſecrans; ſed pro Altaribus gratiùs immolabor.* En quot anguſtiis coarctabatur Ambroſius; quot periculis, quot malis uno, eodemque tempore ſubjiciebatur! His majora torquebant Chryſoſtomum, quandò in homilia de ſua expulſione, ità fortiter, & imperterritus ad populum declamavit. *Multi quidem fluctus, & undæ immanes, ſed ſubmergi non vereor. Quidquid terroris habet Mundus, contemno. Quidquid delectabile habet, rideo. Divitias non cupio, paupertatem non horreo, mortem non timeo. Etiam ſi fluctus inſurgant, etiam ſi totum Pelagus adverſum me conturbetur, etiam ſi Principum furor inuadat: omnia mihi arenæ, & arenis fragiliora: nemo enim nos à vobis poterit divellere: quos enim Chriſtus conjunxit, homo non ſeparabit. Ego quidem à vobis nec morte divellar: ego millies pro vobis immolari paratus ſum. Nec gratia mihi in hoc eſt; ſed debitum reddo: Bonus enim Paſtor Animam ſuam*

[b] *Epiſt.* 35.

dat

dat pro ovibus suis; Unum in tot, tantisque malis solatium, & sibi, & nobis exhibet verè magnus Antistes; invincibilis animi fortitudinem; eamq; ab amore Christi, & ovium Christi productam. Ait namque Petrus Chrysologus: *Nihil durum, nihil amarum, nihil grave, nihil læthale veretur amor verus. Quod ferrum, quæ vulnera, quæ pœnæ, quæ mortes amorem prævalent superare perfectum? Amor est impenetrabilis lorica, respuit jacula, excutit gladium, periculis insultat, mortem irridet. Denique, si amor est, vincit omnia.* Nil dulcius, nil animosius ad Episcoporum solatium dici poterat!

CAPUT V.

De eodem itidem Argumento.

QUisquam fortè putabit, transisse tempora illa Episcopis adeò calamitosa, quæ ipsorum animas ob Principum tyrannidem tam dirè torquebant: verùm apertissimè fallitur. Desierit Principum, non tamen umquam deerit, aut potentum, aut sceleratorum, aut Dæmonum sæva tyrannis; & (quod longè toleratu difficilius) ea cessante, non rarò potentissima Dei manus Episcoporum corda miris modis invisibiliter aggravat, subtilissimeque transfigit (ut suo loco dicemus (. Nulla temporum, rerum, personarum, ipsorumque Episcoporum conditio, eos ab adversitatibus, ab afflictionibus, à periculis; uno verbo, à martyrio eximit. Seriò perpendite; quæ, quantaque mala pertulerit: quis? Carolus Borromæus, genere Princeps, dignitate Cardinalis, doctrinâ insignis, vir-

tute

tute Sanctos. Quo tempore? postremo sæculo; absolut o Tridentino Concilio, Episcopis tam proficuo; sub Pontificibus verè optimis, Regibusque piissimis. Ubi? Mediolani; hoc est, in Urbe nobilissima, catholica; ipsorumque Borromæorum parente. A quibus? à concivibus, à nobilibus, à plebeis; ab Ecclesiasticis, sæcularibus, & regularibus. Quæ? irrisiones, bonorum sequestrationes, contumelias, militum obsidionem; calumnias, & has gravissimas; armorum deniquè ictus, ipsosque mortales; nisi clypeo invisibili tectus fuisset.

Si etiàm liceret hujus nostri sæculi; quinimò, & nostrorum quoquè dierum exempla in medium proferre; quot Episcopos, opibus, fortuna, meritis, planè sublimes, hic attexerem dirissimè divexatos? Vivunt adhùc Eminentissimi Cardinales Episcopi, qui hoc de se ipsis mihi apertissimè fassi sunt. Vivunt alii, qui piissima commiseratione, de pertinaci malorum hominum in Episcopos, odio, ira, perfidia, sycophantia mecum plurima digesserunt. Romæ id nupèr accidit; quò, visitaturus Apostolorum limina, accessi: ubi prætereà multos Episcoporum audivi, talia de suis Episcopatibus mæstissimè deplorare; ut ea mihi horrorem incuterent. Equidèm fateor, me nunquàm apùd Turcas, aut Syros, aut Phœnices, aut Assyrios, aut Arabes, aut Chaldæos, aut Persas, aut Indos; vel etiàm apùd Hæreticos, aut Schismaticos, aut Ethnicos, non dico majora; sed nec æqualia passum fuisse: vel si quid pati contigit, modica pecunia redemi: præterquàm quod passionem omnem quasi extinguebat clara, & certa cognitio, quod ea mihi fierent ab hostibus Fidei; à quibus proptereà vexari, & apud Deum, & apud homines gloriosissimum

est; at verò, similia pati à fidelibus, à subditis, à filiis, eisque, ut plurimùm, beneficio affectis, atquè dilectis; & hoc intèr Catholicos: planè durissimum.

Verum est, quosdam Episcopos reperiri, qui in labore cæterorum non sunt, & cum illis non flagellantur; incuriosè ludentes, aut dormientes in cura: de quibus loquitur Augustinus, dicens: [a] *Nihil est in hac vita faciliùs jucundiùs, & optabiliùs Episcopali munere; si perfunctoriè, & adulatoriè res agatur: sed nihil est apùd Deum miserabiliùs, & execrabiliùs, si ità agatur.* Episcopis, qui hoc modo se gerunt, differtur martyrium, non aufertur: eis namquè pro temporali manet æternum (Si tamèn temporali aliquandò carent) [b] *Nomen nos Pastoris* (ait Gregorius) *non ad quietem, sed ad laborem suscepisse cognoscite. Sicut igitùr laborantes, & circà animarum salutem solicitos, hoc nomen antè Deum, æternam ducit ad gloriam: ità desides, & torpentes urget ad pœnam.* De illis ipse hic tantummodò loquor, qui verè Episcopi sunt; utque tales, animas suas sempèr dant pro ovibus suis; quarum causa modò unum, modò alterum, modò plura, & quandoquè ferè omnia subeunt martyria: sed alternantibus pœnis, nunc levioribus, nunc gravioribus; nunquàm tamèn omninò cessantibus: ità fit, ut ad ipsorum solatium de nonnullis Episcopis dici possit, quod Chrysostomus de Jobo ait: [c] *Martyres innumeros Job unus æquat.* Non rarus, inquam, Episcopus æquat: Sed hoc etiàm expresè fatetur idem Chrysostomus: [d] *Bonus Pastor, & talis qualem Christus vult, innumeris componi Martyribus; Martyr siquidèm semèl pro Christo moritur; hic autèm millies proptèr gregem suum.*

a dicta p.148.
b lib.4. dist.13. ep.8.
c hom. 1. in c. 12. ad Corint.
d to. 4. in epist. ad Rom hom.29. cir. fin.

CA-

CAPUT VI.

Quibus de Causis Episcopi torqueantur.

DIctum est, quod Martyrem facit, non pœna, sed causa: hæc autèm est veræ fidei testificatio; sub qua ea omnia compræhenduntur, quæ ipsamet fides, aut imperat, aut vetat, aut consulit; ita ut, mori pro adimplendo, vel pro non transgrediendo præcepto, seu etiàm Divino consilio: Martyrium fit. Ideò enim intèr Martyres computantur, qui vitam prò Virginitate, prò Ecclesiæ defensione, prò Justitia, proquè aliis virtutibus perdidere. Magnum profectò solatium Episcoporum esse debet, quod vix ulla sit virtus, prò qua eos non oporteat sæpiùs, & plurima pati. Prò fide, ut Inquisitores: prò castitate, ut Virginum custodes: prò coercitione malorum, ut Judices: prò Ecclesiæ Immunitate, ut Sacrorum Præfecti: prò verbi Dei prædicatione, ut Pastores: & generalitèr prò Pietate, ac Religione, ut Medici, ut Magistri, ut Parentes (uno verbo) ut Episcopi. *Si enìm* (ut dicit Chrysostomus de Adventu Domini) *Martyrium exercitatio pietatis est*; hujusmodi exercitatione vix umquàm carent Episcopi, qui summa pietate pollere debeant, aliisque pietatis normam præbere. Multæ igitùr sunt causæ pœnarum in Episcopis, & ipsæ tam graves; ut eis non sufficiat propria bonitas; sed etiàm subditos bonos facere debent; eradicando vitia, plantando virtutes, & eas excolendo. Hoc autèm quàm difficile sit, quàm laboriosum, quot periculis plenum; illi fateantur, qui unam domum, unum gym-

nasium, unum monasterium, unam familiam, unam urbem, unumque populum, absquè ingenti solicitudine, & sinè magnis curis, & anxietatibus regere, & in officio continere vix possunt. Episcopus autèm, & populos, & urbes, & familias, & monasteria, & gymnasia, & domos; quinimò, & viros, & mulieres singulas, ejus curæ subjectas, unus coercere, unus erudire, unus salvare debet.

Constat ergò, Episcopatum Martyrium esse, pœnarum mole, numero, intensione, duratione gravissimum. Sub eo gemunt Episcopi; licèt foris quieti,& gaudentes appareant. Eos appellat Augustinus: [a] *Fęlicitèr infęlices*. Sunt namquè Mitrati famuli, non unius quidèm, sed tot Dominorum, quot ministrare debent alimenta salutis. Miserè gloriosi, exteriùs lucent, intusquè cremantur. *Assidua calamitas non omninò illos,ut alios, indurat*: nam adeò in Episcopis varia est, adeoquè diversos torquet affectus, ut non sinat obducere callum in animo sempèr cicatricoso. Putant aliqui, Divum Franciscum Salesium tale numquàm sensisse Martyrium, sed planè falluntur: mutasse namquè bilem in lapidem, magna prorsùs vis tormentorum fuit; quibus novus Chimicus potuit ignem, flammasque fellis, non modò compescere, sed obdurare. Apathiam Stoicam, & zelus, & charitas, & justitia,procùl ab Episcopis arcent. *Non sentire mala, non est hominis* (inquit Seneca) *non ferre, non est viri*. Sentiunt ergò Episcopi, ut homines, spirituale martyrium: sed, ut viri ex officio perfecti, fortitèr ferunt: magnum enìm solatium,& cum solatio vires eis dant invincibiles, Divinorum Oraculorum promissa. Ea sunt: *Momentaneum hoc, & leve tribulationis nostræ æternum*

glo-

[a] d. ep. 148.

gloriæ pondus operatur in Cœlis: non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: omne gaudium existimate, cum in varias tentationes incideritis; scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur; patientia autèm opus perfectum habet: beatus vir, qui suffert tentationem; quoniàm cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se: & alia plura, Episcopis præcipuè dicta, quibus cujusque Præsulis animus ad quodcumque martyrium impelli, & erigi debet.

Societas etiàm tot Episcoporum, qui nos præcesserunt, & qui modò vivunt, magnum exhibent in afflictione nostra solatium; cum vix unus reperiri posit, quem ingentia mala in Episcopatu non torserint, aut torqueant. Equidèm fateor: quotiès, positus in magnis angustiis, opprimi videor; si ad aliorum Episcoporum certamina oculos figo, & respiro liberiùs, & pudet me, pro magnis habuisse, quæ tùnc minima esse dignosco. Legite præcipuorum Episcoporum gesta; interrogate de modò viventibus: & in cunctis, & singulis reperietis prò solatio, quid admirari, quid tandèm in vestris afflictionibus æmulari posit. Præstat tamèn, & longè præcellit exemplum Christi, cujus vices nos gerimus, in procuranda salute animarum, quæ nonnisi sanguine, ac pasione salvantur. Maximus ille Theologus Areopagita profitetur audactèr: *Omnium Divinorum Divinissimum esse, in salutem animarum cooperari*; ad quod Episcopi positi sunt. Desint promissa, præmia, societas, exempla: id unum sufficit, per Episcopale Martyrium, nos Deo quàm maximè opitulari, & placere.

CAPUT VII.

De iniqua Episcoporum Diffamatione.

NOn est malum puniri (ait Seneca) *sed pœna dignum esse*. Id norunt impii Tyranni; qui propterea neminem afficiunt pœna, quem priùs ea dignum non simulent. Puduit Hæbreos, occidere Christum, quin anteà innocentiam ipsam esse ream mortis impudentissimè succlamarint. Contrà eum inquiri non potest, qui nullatenùs diffamatur. Quemadmodùm, qui antiquitùs, & nostris quoquè temporibus, pro Religione mortem oppetiere; perduelles, incantatores, seductores, nefarii habiti sunt: ità etiàm Episcoporum Martyrium incipit à censura. Cum primùm in sontes armantur; ipsi rei, & eorum amici, & fautores, illicò in Episcoporum famam insiliunt, venenatis eam linguis inficiunt, & pessimi Sycophantæ dilacerant. Præteritas culpas (si quas inveniunt) ostentant; præsentes; quas non reperiunt, effingunt; bona ipsa ex mala intentione derivant; & quod piè ab eis geritur, hypochrisi tribuunt. Decreta, ordinationes, præcepta, edicta, sinistrè interpretantur; de imprudentia, de ignorantia, de præcipitatione, de malo animo cuncta eorum gesta obliquè insimulant. Si operantur, inquietos; si non operantur, desides vocant: & hoc unum totis nisibus moliuntur, ut, si non damnabiles, saltèm despicabiles Episcopos reddant.

Quidam Præsul, optimè à suis exceptus, & aliquandiù in summa veneratione habitus, cum primùm duas

ini-

iniquissimas pellices, cum matre lęna, in carcerem trusit; illarum amasiorum, non modò linguis, sed, & calamis tam dirè, tamquè procacitèr fuit divexatus; ut non ampliùs priori quiete, ac serenitate frui potuerit. Quæ dicteria, quæ scommata, quas irrisiones, quas conjurationes, quas minas, etiàm per publicos, infamesque libellos; quæ dispendia, quæ deniquè mala non est passus? Longum esset ea recensere, quinimò, & recensita, incredibilia viderentur: Juvit tamèn Deus Episcopi zelum, & patientiam; præciditque malignantium caput ictu læthali. Quotiès ego Ecclesias mihi commissas perlustrare volui, quotiès diœcesanas Synodos celebravi, quotiès abusus evellere studui, quotiès Dei cultum promovere sategi; toties Dęmonum ira efferbuit, & venenatas linguas incendit, & diras tempestates commovit.

Perditi homines quid non effutiunt contra Præsulem eis invisum? Quantò meliorem agnoscunt, tantò liberiùs insultant; nil ab eo sibi reformidantes, quem sciunt, & mitem esse, & quotidiè sacrificium offerre; & paratum dare percutienti maxillam. Primùm de ignavia, de imprudentia, de inscitia insimulant; ut contemptibilem reddant: subindè indiscretum accusant, acrem, biliosum; postremò efficta crimina objiciunt, & etiam bona illius opera, ipsam justitiam, sinistra interpretatione commaculant; ut ejus qualemcumquè famam funditùs perdant. Hac etiàm intentione id efficiunt, ut eos, ad redimendam vexationem, pro libitu vivere sinant; ut fidem apùd majores Judices invenire non possint; ut sub deformi capite membrorum turpitudo minùs appareat.

Si quis Episcoporum perniciosos audacis cujuspiam erro-

errores, gliſcentemquè in ſua Diœceſi aliquandò malam doctrinam eradicare ſtuduerit; auctoris odium incurrit: & humus pravis germinibus apta, quot ſubindè ſpinas, quot tribulos, quot venenatas herbas, cultori noxias producit? In patrem proceres excitat, filios removet à parente, ſeducit amicos, avertit ſubditos, omnia confundit. Quos Epiſcopo noſcit contrarios, adſciſcit: & erecto contrà eum tribunali, ex iliis eligit ſcribas, & teſtes, quibus accuſationes, examina, fides, proceſſus, reus in Judicem format. Si quos Epiſcopus in viſitatione, vel extrà, corripiat, ſi quos etiàm aliqua pęna mulctarit, eis iniqua commiſeratione blanditur, & ad ſe trahere ſubdolè ſtudet. Alios verò, uſurpato potentum nomine (ſi apud eos valere contingat) miniſque intentatis, jurare, tàm falſa, quàm dubia cogit. His artibus mille ſupplices libellos, modò ſummo Pontifici, modò ſacris Congregationibus porrigit; nunc plurima ſimul objiciens, mox unum crimen, aut alterum: &, ſi nihil efficiat, ab uno tribunali excluſus, redit ad aliud; ſemel objecta repetit, permutans verba, non ſenſa; rarò proprio nomine id agens; ſed ferè ſempèr alieno; & (ſi poſsit) alicujus Univerſitatis: aut Cætus, cujus ſit ipſe Zelator jurium, patronus, defenſor, & cauſidicus; exultante interim hujuſmodi cætu, quod odio alieno ſuas exerat paſsiones. Extorquet ille importunus aliquandò literas pro informatione ad Epiſcopum, & eas in foro, in compitis palàm oſtentat, veluti propriæ offenſę vindices, & ultrices. Dein verò, citato Promotore Fiſcali, eaſdem publicè, perque publicum Notarium præſentari curat: id unum ſemper intendens, quemadmodùm poſsit Epiſcopum contemptibiliùs lædere,

acriùs irritare,ac apùd ſubditos reddere magis exoſum. Non deſunt viri prudentes, qui procacem hominem fraternè corripiant, & ultionis divinæ commoneant; ut ab incæpto deſiſtat: ſed fortè reſpondebit iratus: *Nimiùm læſus* (ut ſibi videbitur) *nec volo*, *nec valeo*. Quinimo dicere non verebitur: *Nequam hunc Præſulem tam dirè vexabo*; *ut tandèm aliquandò præ cordis angoribus animam evomat*. Quid propterea non moliatur, ſi fuerit aliqua exemptione munitus, procerumque fretus auxilio? Enormi falſitate illius famam tentabit corrumpere, unaquè, aut gradum, aut poteſtatem adimere: quod ſi nanciſci non poſsit, anonimis literis inane commentum proſequi non erubeſcet. Quid ultra? extremè audax, hujuſmodi literis Epiſcopum graviſsimis laceſſet injuriis, imprecationibus, minis. Interìm verò, apùd ſimplices deplorabit ſuæ ſortis miſeriam, ſimulans ſe, cum velit, ad pedes Epiſcopi fune ad collum appenſo, veniam petiturus provolui, ſuperbè repelli: ab eo, ſcilicèt, qui apertis pręcordiorum brachiis illius pęnitentiam ex animo præſtolatur. Quod hæc, & atrociora contrà Præſulem vigilem aliquandò fieri contingant, & plurium Dięceſum viſitatione, ac gubernio, certiſsimè comperi: ſed etiam comperi, facillimè ab Epiſcopo, & elui objecta, & dilui maculas, & famam tergi nitidiùs: juvante Deo, eique favente, qui pro ſe patitur diffamationis martyrium. Idcircò Epiſcopus nunquàm ceſſet à procuranda tam procacis, & pertinacis adverſarii ſalute, modis quidèm omnibus; ſed citrà aſſentationem, aut metum. Illius aſtus,ira,livor, odium, ejus conſtantiam minimè frangant; ſed pro ſolatio meminerit, quam graviores, tetrioreſque notas Divus

Carolus, fortior, illuſtriorquè pertulerit; quandò de hypochriſi, de pervicacia, de imprudentia, de affectata in patriam Tyrannide, de ſummi Pontificatus ambitu, non Mediolani tantùm; ſed, & alibi, & publicè convicia ſuſtinuit: præſertim verò, quandò Concionatorem percelebrem, ſibi, coram ſe, multo populo adſtante, inſultantem audivit. [a] *Profectò Caroli innocentia, & virtus lateret* (ut de Rutilio Seneca ſcribit) *niſi accepiſſet injuriam: dum violatur, effulſit.* Perpendite Præſules Ennodii verba, & lætamini: *Splendor vitæ umbram venenatæ locutionis excludit: auctorem repetunt tenebræ, quæ ad involuendum jubar aptantur: nitorem ſyderum, nox infuſa non obruit: ad genium claritatis, proficit cum obſcuritate conflictus.* Longè plura ſubtexere poſſem in re copioſiſſima; verum hæc indicaſſe ſufficiat, pro cunctorum ſolatio; & illius præcipuè, qui talia fortè aliquando paſſus, *ſperavit in Domino, & non fuit confuſus.*

a Epiſtol.79.

CAPUT VIII.

De Accuſatione.

EPiſcopi, dicuntur quidèm ex munere Angeli; ſed tamen verè ſunt homines, & pro imbecillitatis humanæ conditione, utiquè labi poſſunt; quos propterea, ſi quandoque labantur, abſquè injuria eò convenire fas eſt, ubi jure ipſorum errata ſacro, cenſorioque judicio vindicentur: quia verò modus in hoc quoquè ſervari debet, ne fortè nimia libertas, aut lædat innoxios, aut obruat plus æquo nocentes; pro Epiſcoporum ſolatio pauca hic referam ex iis, quæ fusè Divus Bernardus ſcri-

ſcripſit ad Eugenium III. ad rem noſtram ſub appellationis nomine opportunè digeſta.[a]

Appellaſſe iniquè, iniquum eſt: iniquè, & impunè, iniquarum appellationum fomes. Iniqua autem omnis appellatio, ad quam juſtitiæ inopia non coegit. Appellare, non ut graves, ſed ſi graveris, licet. Appellandum à ſententia; antè ſententiam, improbo omninò: niſi ob manifeſtum gravamen præſumitur appellatio. Qui igitùr, non gravatus, appellat, liquet; quia, aut gravare intendit, aut tempus redimere. Non eſt autem ſuffugium appellatio, ſed refugium. Quantos novimus appellaſſe pulſatos, quo interìm liceret, quod numquàm licet? Nonnullis etiàm, quoàd vixerunt, licuiſſe appellationis ſuffragio nefaria ſcimus: verbi gratia, incæſtum, adulterium. Quale eſt hoc, turpitudini patrocinari, quod vel maximè formidari à turpibus oportebat? Quouſquè murmur univerſæ terræ, aut diſſimulas, aut non advertis? Quouſquè dormitas? Quouſquè non evigilat conſideratio tua ad tantam appellationum confuſionem, aut abuſionem? præter jus, & fas, præter morem, & ordinem fiunt. Non locus, non modus, non tempus, non cauſa diſcernitur, aut perſona. Præſumuntur levitèr paſſim; plerumquè & nequitèr. Volentes malignari, nonnè his potiſſimum terreri ſolebant? Nunc terrori ipſi ex his magis fiunt, atque id, bonis. Antidotum vertitur in venenum: non mutatio dexteræ Excelſi hæc. Appellantur boni à malis, ut non faciant bona, & ſuperſedeant à voce tonitrui tui formidantes, Deniquè appellantur Epiſcopi, ne illicita audeant matrimonia ſolvere, vel prohibere. Appellantur, ne rapinas, ne furtâ, ne ſacrilegiâ, & quæ hujuſmodi ſunt, ullatenùs, vel cohibere præſumant, Appellantur, ne indignas, & infames

[a] lib. 2. de Conſideratione.

personas à sacris officiis, à beneficiis, repellere seu amovere queant. Hæc, & alia plurima Divus Bernardus loco citato. Quià verò Pater Narnius, ex Ordine Capuccinorum, quondam Concionator verè Apostolicus, affert ejusdem Sancti auctoritatem, & egregiè Prælatorum egit causam in Vaticano coràm Summo Pontifice, & Sacro Eminentissimorum Cardinalium Collegio; placet hìc ejus verba referre.

Nunc adeò crevit in Populis, ac Religionibus petulantium insolentia; & adeò benè sciunt iniqui, se bracteare, ac minio pingere; quod nisi foret hujus Sanctæ Sedis summa prudentia, & vigilantia; pariterquè discretio, & constantia hujus Sacri Senatus, qui veluti scopuli frangunt, & retundunt importunorum undas, insanosque furores populorum, & religiosorum insolentium; equidèm credò, quod jugum Divinæ legis excutere omninò satagerent, & sensus, carnisque legibus à Statuis gubernari: & fortè, fortè antiqua illa confusio rediret, quam Sanctus Bernardus suo tẽpore irrepsisse lacrymabilibus verbis Ep.178. deplorat.

(Vox una omnium, qui Populis præsunt, hæc est: justitiam in Ecclesia Dei deperire, annullari Ecclesiæ claves, & Episcopalem omninò vilescere auctoritatem: dum nulli Episcoporum licet, illicita quævis castigare. Causam referunt in vos; quia rectè ab eis gesta, destruitis; & justè destructa, statuitis: Quique contentiosi de populo, aut de Clero, pulsati currunt ad vos redeuntes jactant, & gestiunt; se obtinuisse tutores, quos sensisse debuerat ultores.) Id autem eo tempore adeò præjudicabat Ecclesiæ, ac Religionibus, quod propterea Prælati, confusi, ac territi, relaxarint Ecclesiasticam disciplinam, ac regularem, impudentium collo fræna projecerint: regimen renuntiarint: ab Ecclesia-

rum residentia recesserint: & Magistratus profani sacras jurisdictiones usurparint: auctoritas autem Divina humi jaceret; Hæreticorum, & populorum linguis depressa. Sacri enim Gubernatores brachium exigunt, brachium exigant; exigunt æstimationem: & Prælati exanimes, & despecti, neque secundùm Deum gubernare possunt, nec sustinere pondus regiminis Apostolici. (Episcopi (subdit Bernardus) ubique veniunt in contemptum, & in opprobrium: dumque eorum recta judicia contemnuntur, plurimùm Apostolicæ Sedis auctoritati derogatur: ipsi enim sunt, qui vestra pro pace, & exaltatione laborant. Quid vobis vires minuitis? Quid robur vestrum deprimitis? quid retunditis arma militantia vobis.)

Hæc Apostolicus Concionator in Conc.5.feria quarta Tertiæ Dominicæ Adventus; in alia verò habita feria sexta secundæ Dominicæ Quadragesimæ coram iisdem ita loquitur.

Roma, cum audis, quod Prælati bella gerunt, & in Populis, ac Religionibus rumores faciunt, ne mireris; Nec eos (ut assoles) quadam tua dyalecto, fastidiosos, & indiscretos appelles: verùm, potiùs gaudeas, audias, expedias, defendas: & animadverte, quod id signum est, eos pugnare, ac in turri vigilare: quod sinè bellico rumore, ac strepitu fieri minimè potest. E contrà verò, cum fit silentium, & populi canunt, rident, laudant, plaudunt; tunc time, & (penè dixi) pro certo habeas, adorari vitulum; dormire custodes, & vigiles; vineamque Dei deprædari, & vindemiari à latronibus. Quandoquidèm, à sana mente capi non potest, quemadmodùm gubernare quis valeat secundùm cor Dei; contrà vitia pugnare; populorum corruptelas evellere; Religionum relaxationes ex-

tir-

tirpare; bellum inire adversùs Principes, & potestates tenebrarum harum; animasq; ad Cælum ducere per vias arduas, inaccessas, & sensui, carnique contrarias: & tamèn amari ab omnibus; & bonis, scelestisque placere; gubernare cum silentio, absquè contradictionum strepitu, & quin fiat scopus maledicorum, & persecutorum: hoc (inquam) à mente sana capi non potest; cum dixerit ipse Christus: Si me persecuti sunt, & vos persequentur

Tanti Oratoris verba, hic latinè conscripta multum amittunt nativi candoris, & ingenuæ gravitatis: ea quisque videre potest citatis locis in fonte. Quià verò materia hæc latissimè patet, de ea etiàm sequenti capite loquar.

CAPUT IX.

De eodem Argumento.

APpellantium, & accusantium versutia quandoquè Sacras Tridentini leges eludit, artesque invenit quibus extorqueat à Judicibus, quod ritè obtinere non potest. Multorum periurio effingitur in Episcopis livor, odium, malignitas. Adversarij se Romæ constituunt, præsertim qui propè sunt; ubi multis, & malis artibus ergà se commiserationem, contrà Episcos indignationem commovent; ibiquè rectum judicium, & non alibì se consequi posse comminiscuntur. Sciunt improbi, hunc, aut illum Episcopum, vel senio confectum, vel semiægrum, vel paupertate gravatum, vel quieti maximè addictum, nolle, aut non valere ad Urbem accedere; nequè in ea suarum causarum idoneos ha-

habere patronos: &, si habeat, facilè posse corrumpi, aut decipi in re non propria. Sæpè multa congerunt, ut Episcopus obruatur copia objectorum. Non raró, facto agmine, in eum multi diversimodè insiliunt; ut, quod unus, aut alter non valet, plures obtineant; nacti grandi numero fidem. In non magna Diœcesi triginta millium animarum, quot putamus reperiri adulteros, concubinarios, sacrilegos (ut nequiores reticeam) contrà quos opus sit Episcopum insurgere; illosque admonitionibus, repræhensionibus, mulctis, aliisq; pœnis pro ratione contumaciæ gravioribus coercere? Fortè hi omnes pacato animo ab suis nequitiis, quas impensè depereunt, sustinebunt avelli? Nonnè plures phrænetici; & hi potentiores, & nequiores, in medicum, in patrem, in Judicem rabidè insilient? Qui Deum non verentur, verebuntur Episcopum? Quid egit mali contra Judæos in vita mortali benignissimus Jesus? Imò, quid boni non egit? Et tamèn quam impiè accusatus, quam injustè damnatus fuit! Numquid ab Episcopis expectamus innocentiam Christi? Expectemus, habeamus: at non ideò accusabuntur? Imò, ideò accusabuntur: *Non est Discipulus supèr Magistrum*, à quo propheticè dictum fuit: *si me persecuti sunt, & vos persequentur.* Vir probus accusari potest; sed non proptereà damnari: *nàm quis innocens esse poterit* (ut Juliano Apostatæ dictum fuit) *si accusari sufficiat*?

Quidam ex Prædecessoribus meis in Ecclesia Bisidiæ, qui desiit nonagenario major, horrendum est dicere, quot Romæ insectationibus fuerit impetitus; undè impiorum astu tractu temporis plures Vicarii Apostolici eò missi fuerunt, sublata illi jurisdictione (primus ex

di-

dictis Vicariis, vix eò peruenerat, cum inuitus aliò destinatur; & hoc ad ejus instantiam affabrè à falsario confictam, simulato illius caractere, ac sigillo) Id verò speciali nota contrà dictum Episcopum novus Gerion molitus fuit: Romam se contulit, ibique togatus eum accusavit, & Testes adhibuit, quorum unus, & alter ipsemet extitit, modò capillatus, & posteà tonsus, ac diversimodè indutus, fronte, voceque mutata, Veruntamèn, quàm bonus esset Episcopus, vel ex eò colligi potest, quod tempore memorabilis seditionis in toto Regno Neapolitano, cum quodam manè valdè diluculò ex ædibus egrederetur, missum excepit, qui præcedenti vespere tres ejus Nepotes (unum Baronem, duos alios Equites Hjerosolymitanos) in convivio à perduellibus occisos fuisse nunciavit. Hac suæ domus extrema clade percepta, procubuit, terram osculatus, extensisque in Cœlum manibus, ait: *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen Domini benedictum*. Hæreditatem posteà defunctorum nepotum adivit, & ejus Hæredem Divæ Annæ illustre sacellum instituit. Præstereà, vel ipsum senium reddebat Episcopum venerabilem: at perditi homines ejus caniciem non sunt veriti per calumniam maculare juvenum vitiis.

Novi quosdam, & ex his etiàm Ecclesiasticos, qui unà convenientes, de superiore conquesti, crimen effingebant, de quo ipsorum quilibet eum diffamare pollicebatur, hoc pacto, ut id à pluribus resciviffe diceret: quo commento, Urbem totam, vicinasque Regiones malus rumor facilè, ac brevi excurrebat. Hic, & hujus generis alii optimè norunt, ementita non forè diuturna; sed lucrum putant, vel lacessisse innocentem,

vel

vel aliquatenùs illius obnubilasse splendorem, vel reddidisse suspectum, vel denique præcidisse progressum. Celebris erat in Indiis cujusdam Nobilis fama, sed malis inuisa: qui, nè is fieret in illis partibus Prorex, datis literis in Lusitaniam, morbo correptum, & ab aliquo tempore non sui compotem evulgari ab amicis in Aula Regis curarunt: non tamen juvit iniquos astutia; quia prudentissimus Rex eumdem instituit proregem, & alium substituit; si, cum Naves Goam appulissent, eum, vel superstitem, vel infirmitate aliquâ, Prefecturæ aptum non reperissent. Ergo, sanus, & sui compos inuentus, supremum illud gubernium suscepit; eoque suscepto, Versipelles illi, qui contra eum scripserant, plus cæteris de ipsius dignitate gratulari, & gaudere visi sunt. Jam olim legi ego literas cujusdam Episcopi Cardinalis ad suæ Diæcesis Virum primarium, quibus eum monebat, rescisse, quanta malignatus fuisset adversum se, ne Pontifex crearetur in pridem absoluto Conclavi. Passim igitur mentiuntur iniqui delatores, & appellantes, variâ quidèm intentione; sed semper ut noceant. Verùm, hoc grande malum, quod propinquiores Episcopos adeò inquietat, vel saltem occupat, remotiores vix unquam molestat. Idcircò quidam Archiepiscopus in Indiis, minantibus aliquando recursus, subridens, ajebat: *Ego longè propior Urnæ quàm Urbi*.

Ut se, quidam seductor, suosque asseclas ab Episcopi Jurisdictione petulanti calliditate subduceret, semper lividum, malignumque appellabat; quo permotus Episcopus, ne speciem veritatis calumniæ daret, cum scandalo Pusillorum; eum, suosque impunè peccare sinebat, quos certè noverat, habituros Deum ultorem.

Id autem faciliùs assequuntur Urbi viciniores, quò minimis expensis brevi se conferunt; vel inibi propinquos, amicos, concives habent, eosque Aulicos, aut Aulicorum, seu Magnatum familiares, vel saltem famulos; quibus aliquando mercedis, gratiæ, beneficii loco, favor, defensio, protectio in ipsorum Clientes defertur. Qui verò alicubi potentum negotia gerunt, patrocinia pro stipendiis exigunt; eisque freti quàm maximâ immunitate fruuntur (plerumque in suarum animarum perniciem) & in calumniis eò majorem fidem inveniunt, quò suorum Patronorum temporalia bona fideliùs administrare putantur: ita fit, ut illæsi, acriùs lædere queant, & impunè mordere.

Sacri Concilii Tridentini Venerabiles Patres à Spiritu Sancto illuminati, & edocti, multa (ut jam dixi) de Episcoporum causis, & de appellationibus ab ipsorum sententiis optimè decreverunt, quæ videri possunt, presertim sess. 13. cap. 5. 6. 7. & 8., & sess. vigesima quarta cap. 5. 10. & 20. Solari debent Episcopos, quæ dictis locis ad ipsorum favorem sanctissimè decernuntur: & si fortè impiorum nequitiâ quandoque irrita fiant; magnâ fiduciâ expectent auxilium à Domino, *qui tandem malignantes exterminabit*; & in quolibet Episcopo iniquè vexato *exaltabit cornu Christi sui*. Non despondeant animum; sed audacter, ubi opus fuerit, se, justitiamque defendant, reosque jure insectentur: nam (ut scribit Sanctus Cyprianus) [a] *Si ita res est (Fratres, ut nequissimorum hominum timeatur audacia, & quod mali, jure, & æquitate non possunt, temeritate perficiant: actum est de Episcopatus vigore, ac de Ecclesiæ gubernandæ sublimi, ac divinâ potestate. Pellat* ergo *timorem charitas;*

a lib. 2. Epist. 3.

ritas; tendat patientia vires: nam veritas salvabit vos, & mendaces ostendet, qui maculant vos, & dabit vobis claritatem æternam. Dicamus audenter cum Paulo: [b] *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ: Nam hæc mille testes.* Ipsemet plures ex Eminentissimis Cardinalibus nuper audivi, detestari, & abominari petulantissimos nostri temporis adversus Præsules malignantium recursus; & horum causâ jam quosdam damnasse Triremibus. Non ultio placeat, sed zelus; qui utinam, vel sic, vel pœna tallionis *obstruat ora loquentium iniqua*; ne sacri Antistites, dum occupantur in defensione propriæ innocentiæ, retardentur ab insectatione alienæ malitiæ. Verùm hæc nihil proficiet adversus sanctum Domini; sed illustriorem faciet, quem obnubilare curavit. Ita Cassiodorus in persona Theodorici ad Antonium Episcopum Polensem: [c] *Sanctitatis vestræ animus non gravetur, nec fallacibus verbis doleat accusatum. Multo major est opinio purgata, quàm, si, desinentibus querelis, non fuerit impetita.* Nusquam Episcopi uberiorem consolationis venam reperient, quàm in iis malis, quæ ipsis ab Urbe inferri adversariorum dolus molitur. Exultant ipsi, & insultant, cum propriâ versutiâ per obreptionem, aut subreptionem quidquam contra illos extorquent. Diù aliquandò per effusas ambages, per insensibiles technas triumphant, longo, diroque martyrio Episcopos divexantes: at Divini spiritus lux indeficiens, quæ Romanæ Curiæ linceos oculos perennis illuminat, detectis malarum artium nebulis, tenebrisque falsitatis, vel serò depulsis, quantis gloriæ radiis, quantis splendoribus Episcopos antea multâ caligine opertos illustrat? Tunc quanto

b 2. ad Corint. 1.

c. lib. 4. variar. Epist. 44.

affectu eos Roma complectitur? quantâ æstimatione collaudat? quantis viribus, quanto conatu defendit? Ipsimet adversarii præ confusione tabescunt, præ dolore deficiunt, & præteritæ nequitiæ pœnas amarissimas luunt. Felices ergo propiores Urbi, cujus gloria est, non tàm nocentes plectere, quàm innocentes benignè, strenuèque tueri! & quamquàm id etiam in longè remotos agat: Non tamen hi ad eam tam faciles habent sivè accessus, sivè recursus. Hæc eadem ratio solari debet Episcopos, quoties illos aliorum odium, quo quomodo Romæ insectatur (ut hujus operis decursus ostendet) nec eam ipse ulterius repetam; cum id experientiâ magistrâ ubique, ac semper cunctos edoceat.

CAPUT X.

De Litibus.

PRæfati recursus in criminalibus adversus Episcopos trahunt me ad alios in civilibus, quibus ipsorum corda æquè, si non acriùs, vexantur. Eorum, quæ Deo sunt dicata, rerum, jurium, personarum, Episcopi ex officio Judices, & defensores existunt; & si ea, vel minimùm lædi permittant, gravissimè peccant, & censuris Ecclesiasticis irretiuntur. *Nihil est tam sacrum, quod sacrilegum non inveniat.* Equidem puto, in Ecclesia Dei per totum Orbem diffusâ nil magis controverti, quam jurisdictionem, libertatem, & immunitatem Ecclesiasticam: & utinam solummodo Laici adversarentur! Verùm, id aliquando pervica-

cius

cius fit à quibusdam Ecclesiasticis contra Sacros ipsorum defensores, & Judices. In singulis: differentiarum, litiumque origo est arrogans quorumdam inscitia, & nesciens arrogantia. Ignarus non audet contendere; sapiens cum docto non pugnat. Primus cedit, quia non intelligit, alter convenit, quia merita causæ, vel docto clarè demonstrat, & flectit; vel sibi à docto clarè demonstrantur, & flectitur: qui verò, nec omninò ignarus, nec verè sapiens existit, audet contendere, quia quædam intelligit; & nunquam convenit, quia doctiorem flectere, vel ab eo flecti non potest, dum arroganter putat scire, quod nescit. Episcoporum scientiam approbavit coram Pontifice Doctissimorum examen; auget studium; firmant Prudentum consilia; fovet Vicariorum, Auditorum, Assistentum discussio; dirigit Spiritus Sancti gratia, quam suis Orationibus, & piarum animarum suffragio postulant. Minimè igitur suspicari quis potest, eos tempore quidquam velle juri contrarium. Accedit, quod cum sibi successores non eligant, nec hæredes instituant, & mortem, ac judicium imminere sat benè intelligant: non utique credendum est, eos gratis ultra debitum pedes, manusuè proferre, spinis & tribulis configendos. Quis quietem oderit, anxiè quærendam? Quis pacem fugiat, ad cujus amplexus, vel per arma proceditur? Sed jura Ecclesiæ Episcopi etiam per quietis, pacis, bonorum quinimò, & sanguinis, & vitæ profusionem tueri debent; id exigentibus officio, & juramento, quibus obstricti sunt. Si hæc omnia seriò quisque perpendat, nemo erit, qui non cedat Episcopis; vel eos cogat litibus implicari. Magna ipsis irrogatur injuria, cum eorum conscientia

itâ

ità coarctatur, ut peccent, ne litigent. *Satiùs est incidere in manus hominum, quàm in manus Dei viventis*, cujus est Episcoporum actiones strictè disquirere; præsertim ubi de Ecclesiæ juribus agitur. Felices Episcopos, quorum subditos, docilitas ornat! Verùm, inter tot impossibile ferè videtur, vel unum saltem non reperiri ceruicosum, refractarium, protervum (uno
a Prov. 16 verbo) perversum: nam [a] *homo perversus suscitat lites*. Is alios trahit in suas partes, & devios abducit. *Multa sunt falsa probabiliora veris* (ait Philosophus), & hujusmodi falsis rationibus litium suscitator, legibusque malè intellectis, seducit ignaros, & subjectos efficit perduelles. Pessimè dictum: *hoc à superiore malè præcipitur: suæ auctoritatis excedit limites: lædit privilegia: justas consuetudines abrogat: antiquos possessores extrudit: nimium gravat: imperitè gubernat*. Hujusmodi censuræ sunt seminarium dissensionum, & fomes litium. Vix ullum præceptum, decretum, aut edictum fiet ab Episcopis, quod homo perversus, aut parùm, aut nimiùm sapiens, nôn audeat arguere. Qui nolit argui, hoc unum agat, ut nihil præcipiat, statuat, decernat, ordinet, mandet, nisi prius à cuncto populo, & ab audacioribus populi fuerit approbatum. Quàm convocare omnes, tàm eos omnes in unam convenire sententiam, est impossibile: vel unus inter tot perversus jurgia suscitabit, & lites. Audiant subditi, & benè perpendant Divi Greg: Nazianzeni in oratione ad Julianum sanctissima verba: *Oves Pastores nè pascite, nec supra fines vestros assurgite; satis enim vobis est, si rectè pascamini. Judices ne judicate, nec legislatoribus leges præscribite*. Utinam ità fieret! Jurgia, litesque ces-

cessarent; nec oves in rabiem versæ à se Pastores avertерent, & distraherent. *In omni discordia ferè semper tota Episcopi culpa est* (ut Bernardus ait) [b] *quod culpas redarguerit Clericorum*. Eja boni Pastores, obligationem vestram optimè scitis: quæ spectant ad Ecclesiam, non sunt vestra, sed Christi. Pro illorum defensione possetis bellum indicere, si vires adessent: debetis animas ponere, vitamque profundere, si necessitas exigat. Sacri Canones, strictè præcipiunt: id in vestra consecratione jurastis: id egere Sanctissimi Præsules; id præstitit per longas lites, & per beatam mortem invictus ille Thomas Cantuariensis, adversus proprium, & potentissimum Regem. Insurgant oves, latrent, obmurmurent, mordeant, non ampliùs mites oves, sed rabidi canes. Non vos expensarum summa retardet; minuite domus impendia, & quod pauperibus elargiri debetis, expendite in lites, si utrumque fieri non potest. Grande profectò Episcoporum in litibus solatium est, ad eas cogi, & non cogere: non enim fieri potest, ut Judices spontè Rei evadant in causis ad se pertinentibus: Actores oportet, ut sint, qui vos à vestro tribunali pertrahunt ad aliud, eòque conventos, ire compellunt.

b Epist. 152.

Novi amicum Præsulem à jurgiis, & litibus adeò abhorrentem, ut spontè amiserit aliquot aureorum millia, quæ propria ipsius erant, ne judicio contenderet: hic tamen, quæ sui muneris agnoscebat, magno dispendio tuebatur; nec quieti, nec labori parcebat; spernebat odia, opprobria, contumelias, paratus mori, si opus fuisset. Litigabat inuitus, & in litigando pirissimè torquebatur; sed expectabat de tortura merce-

ce-

cedem, grandique constantia dicebat: *id ago, quod quilibet Sanctus Episcopus ageret: si non facerem, mercernarius, proditor essem, non Pastor, & sponsus. Immineat mors, & id ex revelatione cognoverim; usque ad ultimum alitum. Ecclesiam, & quæ sunt Ecclesiæ, ac proprii muneris jura tuebor. Si Judex superior aliter sentiat, judiciumque contra me ferat: cessabo à litibus; non altius ascendam; & pacatâ conscientiâ, meis partibus satisfecisse lætabor. Compensabit utique Deus, qui nec falli, nec fallere potest, æterna retributione amissas expensas, & damna judicii.*

Bonus Episcopus, *nec timeat lites, nec inferat*: quæ privatam respiciunt personam, facillimè cedat; quæ publicam, strenuè defendat: quæ verò ad Ecclesiam spectant, nec minimùm lædi permittat. Id agat in proprio foro perquàm dulciter, servatisque servandis, nec antea per viam judicialem incedat, quam extrajudicialem priùs frustrà probarit. cùm verò in alio convenitur, præstet coactus, quòd debet; nè suâ culpâ Ecclesiæ jura, & Episcopalis officii quidquàm patiantur: ea namque tanti sunt ponderis, ut nèc proborum arbitrio ritè committi, vel transigi possint, nisi Apostolicæ Sedis consensus accesserit. Vetant leges inter patres, & filios etiam emancipatos agi, quorum lites jubent summariè componi. Quantò æquiùs, & opportuniùs id fieret inter Prælatos, & subditos; cum illi potiori jure dicendi sint patres, & isti filii, nulla unquàm emancipatione ab eorum patria potestate soluti!

CA-

CAPUT XI.

Brevis Apologia pro Episcopis non ritè conventis.

DAmnant ferè omnes, & execrantur, contra Episcopos ultra modum, & sine modo auctos recursus, eorumque tàm in qualitate, quàm in numero excessus. Verùm, eis viam præcludi non posse videtur; quandoquidèm inter tot egregios, & insignes Episcopos reperiuntur aliquot, rari quidèm; sed turpi notâ degeneres, quos compescere magnoperè oporteat. Hæc tota ratio, eos conveniendi, & liberrimè, ac perpetim vellicandi: at fortè propterea omnes, & bonos, & malos? *Premet insontes, debita sceleri, noxia pœna?* Liceat mihi pro consolatione optimorum Præsulum hìc pauca subtexere in ipsorum defensionem.

Quo tempore Dei Ecclesia formosiùs enitebat, purpurata Martyrum sanguine, turpiùs à Dæmone fædabatur: detracto enim fidelibus Christi nomine, alio, & planè infami eos vulgus urebat, Gnosticos appellando. Gnostici hæretici erant nequissimi, à Catholicis Christianis longè diversi, à quorum sanctissimis legibus in pessimos errores desciverant: quia tamen se Christum sequi per quam impiè profitebantur; Principes, Populi, Ethnici omnes cunctos Christianos, etiam veros, Gnosticorum nomine compellabant, ac si eorum spurcissima dogmata Catholicis quoquè essent communia. Idcircò, & sanctissimi viri, & virgines innocentes, non ampliùs, ut Christi fideles, sed ut nefarii Gnostici rapiebantur ad necem. Horrendum di-

ctu! Eos pati, ut impios, qui pro pietate moriebantur, & fœdiſſimè ſuperſtitioſos haberi, qui vitam pro immaculata Religione amittebant. Quis non videat, quàm iniquum fuerit, non diſcreviſſe Gnoſticos à Catholicis, malos à bonis? Et ergo æquum erit, nocentes Epiſcopos, & innocentes unà complecti, & unius, vel alterius mali Præſulis improbitate optimos quoque damnare? Epiſcopi erant Apoſtoli, & inter hos Epiſcopos Judas, cujus Epiſcopatum alter accepit. Num ergò Judæ avaritia, proditio, & reliqua ſcelera cæterorum Apoſtolorum inclita merita, præcelſiſſimam ſanctitatem inficiunt? Cecidit Lucifer de Cœlo, & unà cecidit Angelorum innumerabilis multitudo; non tamen propterea ſublimes illos ſpiritus, ejuſdem naturæ conſortes, qui permanſerunt in ſtationibus ſuis, minùs, ſegniùſque veneramur. Quinimò indè impenſiùs eorum merita extollimus; undè turpiùs aliorum perfidia corruit. Ita ergo, ut optimi Epiſcopi ſua bonitate perverſos non ornant, neque perverſi optimos ſuâ malitiâ deturpent. Dedit Græcia Nicolaos, Baſilios, Gregorios, Chryſoſtomos, Flavianos, Ignatios, alioſque ſanctiſſimos Præſules: verùm horum gloriam, vel minimùm præſtrinxere Neſtorii, Eutychetes, Nectarii, Fotii, cęterique peſſimi Græcorum hereſiarchæ? Neutiquam. Ut quid ergo paucorum, non in dogmatibus, non in fide; ſed in moribus crimina, tot inter latinos egregios Antiſtites lædant, ut reddant cunctos, aut ſaltem pleroſque ſuſpectos? Coerceantur mali, plectantur, amoveantur: at maneat bonis immunitas, decus, auctoritas, ne aliena iniquitate vileſcant, & à ſubditis contemnantur.

Hu-

Hujuſmodi contagioſa lues, quam venti malignantium ab infirmis Præſulibus in ſanos quoque detorquent; ut à ſupremo Ptincipe, & à ſacro Magiſtratu ſpirituali ſanitati præfecto veluti ſuſpecti habeantur; non admodùm longa ſpatia percurrit; & vix remotam aliquando Regionem invadit. Magno tractu ab Urbe diſtantes, & itineris difficultas, & expenſarum inopia, illæſos, incolumeſque dimittit; quin etiam, & ſi quem ſuſtinent morbo infectum, ſilentio premunt. Quemadmodum ſyderibus in Cælo Solis vicinitas obeſſe videtur, ita etiam in terris ſupremi luminaris propinquitas minoribus ſtellis officere: vel quia exceſſu lucis patiantur ecclypſim, vel quia propiores quævis nubecula obumbret: attamen ſecus accidit; nam proximi fulgoris prudentiſſima virtus nebulas omnes citò diſpellit, & proprium cuique ſyderi decus reddit. Hoc autèm decus, quàm ingens incrementum refert ex approbatione Romana! Hinc inſectantis confuſio, hinc oblatrantis ſilentium, hinc malignantis damnatio. Qui alicubi de contagioſa lue, ſeù morbo epidemico perperam accuſatur, cum ſubindè, facto periculo, ſanus agnoſcitur, ſoſpes dimittitur, & ex ejus incolumitatis experimento ipſe gaudium, pænam haurit delàtor. Multi quidem æſtimandus eſt lydius lapis, qui, & verum aurum, & auri pretium diſcernit: verum longè pluris faciendum Urbis judicium, quod non modò bonos Præſules, vel ſerò approbat; ſed & probatis addit fulgorem, quo illi tamquam ſydera verè aurea in Eccleſiæ Cœlo renident. Cunctas hujuſmodi Cœli Stellas (quarum vix paucas agnoſcunt errantes) etiam laici Principes quam maximè venerantur, & eas

(ut proficuos influx us in aulam quoque refundant) intèr præcipuos Consiliarios adſciſcunt; quinimò ,& Provinciarum, & Regnorum illis gubernia committunt; præſertim in Indiis, & etiam apud nos in Trinacria, ubi Proregibus morte ſublatis, & nullo ex ſubſtitutis ibi reperto, ad ſacros Antiſtites regimen omne devoluitur, donec ſubindè à Regibus proviſum. Etiam Pontifex, & impenſiùs, Epiſcopos, quos fratres appellat, honorat, eoſque, in partem ſollicitudinis ſuæ, à Spiritu Sancto vocatos, exaltat. Ipſe, quos prudentèr eligit, ſapientèr gubernat; & injuſtè vexatos, ſtrenuè defendit. Quanti eos æſtimet, præſertim in graviſſimis totius Eccleſiæ neceſſitatibus, ac negotiis; Concilia Generalia, & in primis Tridentinum, fatentur. Id benè agnoſcunt Delatores Epiſcoporum, qui eorum cauſas à Pontifice, ac etiàm à ſacris Purpuratorum Congregationibus ad alia tribunalia detorquent; ut illos unâ privent, & favore ſupremorum Judicium, & honore. Verùm, quibus tanta poteſtas ineſt, & coercent malignantium auſus, & aſtus eludunt; nec ſinunt inſontes Epiſcopos, aut pœnam, aut notam ferre peccantium. Et optimè quidèm, nè minoris æſtimari videantur Sacri Antiſtites ab Eccleſia, quam Laici Proceres à Magiſtratu profano, qui eos impensè tuetur, & eorum injurias, calumnias, & quaſcunque vel minimas offenſas magno ulciſcitur zelo. Epiſcopalis dignitas id potiori jure meretur, cui à Deo poteſtas eſt in Principes, Duces, Reges, Imperatores, qui revereri debent in ſuis Epiſcopis, non dico Chryſoſtomos, & Ambroſios; ſed Judicem Chriſtum, Deum vivum Omnipotentem. Non convenit ergò, nèc expedit,

dit, ipſorum auctoritatem, aut famam ab eis lædi, quibus diſplicet eorum juſtitia, & zelus, coercens, & vindicans perniciosam libertatem, petulantiam, & cætera vitia: nequiores enim ſunt, qui contra eos inſurgunt, oblatrant, & malignantur. De his ait S. Auguſtinus: *Cum autem de quibuſdam, qui ſanctum Nomen profitentur, aliquid criminis inſonuerit, inſtigant, ſatagunt, ambiunt; ut de omnibus hoc credatur, quod de uno tantùmmodo diffamatum eſt*. Oportet conſiderare Eccleſiarum regimen, ut ingens ædificium, quod diverſimodè apparet illud intuentibus in vario ſitu: aliter enim ſe repræſentat iis, qui ſunt infra, & aliter iis, qui ſupra: quod Optica ſatis clarè demonſtrat. Intuentur ſubditi hoc ædificium ab infra, & quæ ſunt optimè poſita, ea extra, vel contra ordinem putant. Superiores verò deſuper idem ædificium contemplantur, cujus partes, ac ſymetriam facilè agnoſcunt, & quæ damnant ſubjecti, ea Præſules approbant. Ità Vigilius Papa, dum Eccleſiæ Apochryſarium ageret Conſtantinopoli, ſuſpiciens ab infra Romanum Pontificatum, damnabat Sancti Silverii regimen apud Imperatores, quibus audebat polliceri multa, quæ illis à Silverio negabantur, ſi quando ad eumdem Pontificatum ipſe ſublimaretur. At, ad illum evectus, tantum regimen de ſuperiori loco aptè contemplatus, promiſſa negavit. Ità etiam Æneas Sylvius, infrapoſitus, quædam ſcripſit de auctoritate Concilii ſupra Pontificem, quæ poſteà de altiſſimo Petri ſolio, Pius Secundus effectus, idem ipſe damnavit. Adeò diverſa noſcuntur, quæ infra, & ſupra videntur. Idem fieri oportet in his, quæ propè cernuntur, & procul. Itaque nil temerè judi-

judicandum de Prælatorum regimine, cujus aspectus à loco, à distantia à personarum conditione alteratur. a ann. 464. n. ult. Quisque perpendat quæ narrat, & monet Baronius [a] *Ne mireris* (inquit) *Lector, Romanum Pontificem Hilarium adversus Mamertum adeò vehementer insurgere, virum (ut declararunt eventa) sanctitate insignem. In his, quæ contentiosi fori sunt, perfacile est, quempiam decipi. Persimile etiam Sancto Leoni accidit, qui in Sanctum Hilarium eâdem fermè ex causâ acerrimè invectus est.* Quis nesciat aliquando accidere, ut falsis accusationibus, & subreptionibus aures Pontificum repleantur, & cum putant agere quod justum videtur, bona fide innocentem exerceant. Ita Deus aliquando permittit, ut Prælatorum fidem, & patientiam, diriùs probatas, gloriosiùs in Cœlo coronet; doceatque Judices cautiùs agere, cum Præsules judicant.

CAPUT XII.

De Carceratione.

Divus Carolus Borromæus aliquando in suis ædibus sub custodia inclusus, cogit me vel pauca de Præsulum carceratione proferre. Raròinter Catholicos accidit, Episcopos domi, aut in turribus, seu castris vi detineri, si de corporali cohibitione loquamur: sæpè verò id aliâ ratione fieri contingit, de quo mox agere instituo. Negociorum aggeres, epistolarum copia, multitudo adventantium, Episcopos egredi prohibent, & domi concludunt. Inopia quosdam, & defectus honesti apparatus in suis ædibus continent.

Alios

Alios foràs progredi non permittit publicè peccantium temeritas; ne cogantur, aut immaturè corripere, aut impunè dimittere, quos fortè per vias offenderint impudentes. Nonnullos in publicnm exire vetat Potentum audacia, qua obuii superbè despiciuntur: nec desunt, quos perduellium insidiæ intra suos lares cohibeant. In quadam Urbe Vicarius Generalis Episcopi occisus objerat, sed auctor criminis prorsus ignorabatur: cum autem Dominus loci, Ecclesiæ infensus, ab Episcopo coerceretur, ille palam obsequium, & eximiam reverentiam professus, clam ad eum mittit, qui suo nomine dicat: *Scito* (*Præsul*) *qui præmisit Vicarium*, *submittet etiam Episcopum*, *cujus tonsura*, *ut parùm amplior*, *ità erit vulneribus aptior*. His verbis, tanquàm catenis, mansit ille domi longo tempore adstrictus. Aliæ quoque rationes, nec paucæ, nec leves, & plerumque occultissimæ sacros Antistites libertate spoliant, & quasi funibns ligant. Eas longum esset referre, ac etiàm supervacaneum; cum ad atrociores pœnas opus sit properare. Ità inclusus Episcopus, animum liberum servat, qui nullis repagulis cohiberi potest, quominus, & Diœcesim, & Orbem totum percurrat; ad Inferna descendat, & super sydera scandat, contemplaturus, quæ velit, & capturus ex Dei bonitate de sua carceratione solatium. Exemplum habet Sanctorum Præsulum, Athanasii, Ambrosii, & Chrysostomi, quorum primus in sicca cisterna sex annis, & in paterno sepulchro mensibus quatuor delituit: alii verò in Ecclesia tanquàm in carcere manere coacti sunt. His addat præfatum, eumque imperterritum Divum Carolum à militibus

domi

domi clausum; & ea æquanimitate, atque constantia in suis ædibus oportunè se contineat, qua tot optimi Præsules uno in loco diù consistere violenter compulsi, & mente libera perstiterunt.

CAPUT XIII.

De bonorum proscriptione, seu expoliatione.

QUælibet Ecclesia sponso Episcopo dotem affert, de cujus fructu alere debeat se, sponsam ipsam, & filios egentes. Non ergò exiguus sufficere, potest, cum in tot partes sit dividendus. Res familiaris, pro ratione dignitatis, non parum exigit: ornatus, mensa, servitium, stipendia, domus, prædia, cultura, reparatio, lites, vix quærunt definita. Ecclesia, ubi speciales proventus non habet, incredibile est, qnantum velit: sacra vasa, indumenta, ornamenta, linteamina, luminaria, odores, ministri, chorus, familia, solemnitates, apparatus, & cætera hujusmodi Deo digna, ærarium grande requirunt. Monasteria Xenodochia, seminaria, carceres, pauperes, religiosi, virgines, viduæ, pueri, senes, mendici, peregrini, magnum censum expostulant, quo Episcopus eorum tanquàm filiorum necessitatibus consulere possit. Quid ergo, si dotis fructus his omnibus non sufficiat? subtrahat sibi Episcopus aliquid, Ecclesiæ, atque filiis: nulli satisfaciet; murmur domi, in templis, in Populo. Propstereà qui Episcopatus dotarunt, prædivites instituerunt. Attamen longa ætas, mala tempora, fluminum rabies, prædiorum, ædium-

que

que reparatio, lites, expensæ quotidianæ, multaque alia Ecclesias ita deglubunt, ut, jam egentes, non sint ampliùs solvendo. Est ergo bonorum expoliatio in Episcopo! Quem ideò miserrimum fateri oportet, quia mendicare non potest, nec stipem dare mendicis. Non loquor hic de Præsulibus inter infideles degentibus, quorum aliquot vidi pauperrimos: sed utique de habentibus totam Diœcesim Catholicam, quorum plerique gravi egestate laborant: & alii, quanquam divites, agrorum fallaciâ, surripientium astu, litium impendiis, ità sæpè consumuntur; ut magnam patiantur inopiam. Quid verò, si addantur inopiæ debita? Durum est egere, & debere, durissimum. Hinc citationes, lites, monitoria, sequestra, exactiones, tantâ cum Episcopalis dignitatis jacturâ, ut unà quoque auctoritas omnis depereat, aut saltem omninò vilescat. Quot curis torquetur Episcopus ære alieno gravatus, qui solvendo non sit? Quoties cum Sancto Paulino Nolensi Antistite ad Deum clamat: *Domine, non excrucior propter aurum, & argentum: ubi enim sint omnia mea, tu scis*. Solicitudines, animarum gubernio debitæ, pecuniarum debitis applicantur, & mendicorum provisor fit ipse mendicus; anxius, inquietus, abjectus. Quæ hinc mala sequantur, quis exprimere possit? Unum dicam, & illud maximum: ipsa mors Præsulis; exhausto enim secundo sanguine, dum plus exigitur, primus in animâ, & cum animâ datur. Scio, aliquot hac morte defunctos; nec eis superfuisse pro funere censum.

Duri exactores, & creditores increduli, omni pietate depositâ, dùm usque ad ultimum quadrantem expetunt, ultimum anhelitum extrahunt, & mori cogunt, ex impoten-

potentia morosum. Quos Episcopi adversarios in sua Diœcesi resciunt, eis contra illum mandata committunt: & hi alienis armis eumdem duplici vulnere sauciant, & interimunt: propriâ vindictâ, & suorum principalium avaritiâ. Quid non timeat Episcopus inops, & debitor? Quem itidem non vereatur? Dignitate, & auctoritate superior, censu fit subditus; &, ne possit ab ullo vexari, nullum vexare audet, vel nequissimum, quem prævidet, posse fieri exactorem. Certò scio, quemdam Episcopum plura pluries erogasse ultra debitum, ne pro debito, vel etiam dubio, vel non liquido quidquam simile pateretur; eligens potiùs miserè vivere, quàm ad mortem ita torqueri.

Videt aliquando Episcopus egens, & debitor, suam Ecclesiam, domum, prædia, reparatione indigere; pauperes, mendicos, debiles, infirmos, virgines, viduas periclitari; Monasteria, Xenodochia, Seminaria, omni auxilio destitui: dumque, tam inops consilii, quàm æris, meditatur his necessitatibus, utcumque succurrere; occurrit creditor, & omnem, vel excogitatam facultatem eradit. Petunt Ecclesia, & mensa præsidium; stipem mendicus; virgo dotem; medicinam ægrotus: & ille, quod eis laborando collegit, gemens creditori largitur: huic nempè argentum; sibi confusionem, & aliis inutiles lachrymas dividit.

Nullâ re tam efficaciter potest Episcopus oves sibi concreditas ad optima pascua pertrahere, quam eleemosynarum profusione, quibus viscera charitatis palàm ostendit; nam præclusa, ut ignota, non prosunt. At pauper Episcopus illas petere, non dare potest: & utinam aliquando non cogatur, vel vi exigere, ut vivat. Syranus

nus Populus in Mari Ægeo, charitate, ac liberalitate ſui Præſulis, olim defuncti, abjuratis Græcorum erroribus, ad Catholica dogmata fuit revocatus. Nuſquàm verò tot filios parit Eccleſiæ Epiſcoporum largitio, quàm in Indiis. Utinam in partibus Infidelium Epiſcopi opibus abundarent! Quot animas hoc pio Chriſti ſanguine, donando, redimerent? Quot ab apoſtaſia cohiberent? Quot à peccatis averterent?

Puto, Divinam Sapientiam ita diſponere, ut Apoſtolici viri, paupertatem Apoſtolicam experiantur, ad incrementum virtutis, & præmii; & ne de auro in extremo die rationem reddere cogantur, qui de animarum theſauro ſunt judicandi.

[a] *Paupertatem Dei Filius concupiſcens, deſcendit; ut eam eligeret ſibi, & nobis ſua æſtimatione faceret pretioſam.* Veræ divitiæ in animo ſunt, quæ amitti, vel auferri non poſſunt. Nihil æſtimabilius bono Epiſcopo, & paupere. Hic, impotens, nulli eſt debitor, & nudus, expoliari non poteſt. Errat, qui Epiſcopatum à pompa, & divitiis metitur. Primi Eccleſiarum Epiſcopi, & hi ſanctiſſimi, egentes fuere, anguſtiati, afflicti, labore quoque manuum victitabant; neque in eis Tyranni quidquam invenerunt, quod raperent, pręter vitam. In Syria novi Patriarcham Jacobitarum Antiochenum Mar Andream, qui totam fermè ſuam gentem Romanę fidei, & ſedi ſubjecerat, ita pauperem in domo, in habitu, in menſa; ut ea, non tanti Præſulis, ſed extremè inopis eſſe videretur. Apparebat nihilominus ipſe in animo opulentiſſimus: erat enim Deo plenus, quem qui habet, omnia poſſidet, & qui non habet, licet ditiſſimus, nihil habet. Ipſimet Turcæ; auro inhiantes, ab eo nec pa-

a D. Bernardus ſer. 1. in Vigil. Nativ.

rum quid expetebant, cum noscerent pauperrimum; sed tamen ob pretiosissimam virtutem impensè venerabantur. S. Thomas de Villanova, lectulum, in quo tandem occubuit, commodatum habere voluit: & D. Carolus Borromæus lætabatur, ære alieno gravari; ut plus daret, quam possideret, solitus dicere: *Indignum forè tam insigni Archiepiscopatu, qui saltem trium millium aureorum non esset debitor.* O verè magnanimum Præsulem, cui parum fuit egenis thesauros largiri; nisi etiam pro eis propriam libertatem creditoribus oppignoraret! Verum, admirandum omnibus liberalitatis, & pietatis exemplum; sed non imitandum, quando quis non foret solvendo.

CAPUT XIV.

De Relegatione, & Exilio.

FErè omnes Episcopi peregrinis præficiuntur Ecclesiis. Aliquot mittuntur ad Indos, & in Americam alii; quidam verò per Insulas dividuntur, & etiam valdè remotas, ut per Luzonias, seu Philippinas. Quod majus exilium? Quæ relegatio longinquior! Quilibet Episcopus residere tenetur, & sive in patria, sive procul ab ea, Ecclesiam habeat, semper est exul: quinimò, magis in patria, quam extra. Pœna est exilium, qua reus loco pellitur sibi grato, & ibi esse cogitur, ubi nollet, ob mala, quę patitur. Nullibi majora invenit Episcopus, quàm in Patria, ubi præter suas, suorum etiam sentit adversitates; & plerumque suos quoquè sibi adversari cognoscit. Ibi minorum obtrectatio, antiquâ cognitione

ne irritata; ibi æqualium æmulatio, invidiæ percita æstro; ibi nobiliorum contemptus, auctus incremento contempti. Denique malorum cumulus ex propinquorum præsentia, quibus, ni placeat omnibus, displicet: ut placeat omnibus, Deo displicere cogunt. Præsulis, etiam inviti, esse volunt consiliarii, arbitri, & directores; [a] *ita ut in uno stipite tota videatur Episcopata progenies*. Verùm hoc absit in ingenuis, probisque propinquis: aderit nihilominus eorum vexatio, & periculum in improbis, pessimisque nocentibus, qui vel transversali volunt ultione placari; vel judicis animum indirecta comminatione pervertere.

[a] *S. Bernard. serm. de verb. Evang. dixit Simon Petrus ad Jesum in declā. S. hunc nos.*

Ideò Summus Pontifex rarò præficit alicui Ecclesiæ oriundum; & qui præficitur, durioris exilii mala patietur in patria. Qui verò extra Patriam deportantur Episcopi, se ibi relegatos agnoscunt, ubi usque ad mortem residere stricto jure tenentur. Hoc exilium à Præsule Regulari sentitur acriùs, cui patria erat Religio, solitudo Civitas, cella Theatrum. Assuetus quietissimæ contemplationi, tumultuanti exponitur turbæ; sacroque otio privatus, jugibus, & sæcularibus implicatur negociis; audiendis causidicis, dirimendis litibus, pacandis odiis, mulctandis nocentibus. Heu! quam atra nox, quam sæva tempestas, obscurat, subvertit serenissimum diem. tranquillissimam pacem præteritæ vitæ! Sancti Prȩsules de cœnobiis avulsi, amarisṡimè lugent amissas cordis dulcedines, &, novi Jeremiæ, lachrymabilibus Threnis deplorant interioris Jerusalem desolationem. Sanctus Gregorius, in omnibus verè magnus, magnum edidit ejulatum, cum se vidisset de monasterio raptum ad solium; & ejus vocibus cuncti gemunt Episcopi de patria

Reli-

Religionis in exilium immensæ ſolicitudinis deportati. Nil ergo mirum, ſi tot, tantique Regulares, aut ſemper, aut diù renuerunt ad Cathedras pertrahi,& quod tracti, ſubindè à Cathedris ad cœnobia refugerint,ut Efrehem Syrus, Ammon, Goares, Nilamon, Malachias, Bernardus, Thomas Aquinas, Gregorius Nazianzenus, Petrus Damianus, & mille alii.

Multi etiam ex Sæcularibus præficiuntur inviti, aut præfici conſtantiſsimè renuunt; ne libertatem illam amittant, qua privati fruuntur; & ab arbitrariis ſtudiis avulſi, exulare cogantur per inamæna Fori judicia. Quoties calamum Epiſcopus arripit exaraturus, quæ meditatur; quoties librum aperit, meditanda lecturus; quoties pedem effert, ut liberiori aere digerat mentis arcana; cum ſupervenientibus ab inito munere curis, pedem ſiſtit, librum claudit, calamumque deponit; ac tum demum ſe, non liberum, ſed & exulem, ſervum agnoſcit? Si ſeriò ſe Præſul æſtimet, non ſe ſuum eſſe, ſed aliorum jnveniet: nempè; ſubditorum, & ſingulorum; & omnium. Ita Paſtor, ab Urbibus procul, in campis, & ſylvis, non amplius ſuus, ſed ovium, eis totus incumbit, eaſque paſcit in die, cuſtodit in nocte; nec unam deſerit, quam non reducat errantem; & omnes numerat, ne vel una deficiat. Quàm benè Divinum oraculum Paſtorem Epiſcopum appellat! Neque utcumque Paſtorem vocat; ſed utique bonum: etenim, minimè bonum, non Paſtorem, ſed nuncupat mercenarium. Ergo bonus Paſtor gaudeat operari, non quæ velit, ſed quæ debet; & eò duci, non quò lubet, ſed quò ire tenetur; dicatque lætus in ſingulis actibus: *id nunc gero, quod Deus jubet, quòd munus exigit*. Meminerit

nerit in Apoſtolorum Principe ſibi dictum: *Cum eſſes junior, cingebas te, & ambulabas, ubi volebas: cum autem ſenueris, alius te cinget, & ducet, quo tu non vis:* id autem intelligat, tam de motibus animi, quam de greſſibus corporis; & utriuſque præcincti ad opus, alio (nempe Deo) præcingente, & movente. Ita erit in exilio probè occupatus, donec revertatur in patriam illam, *ubi non ampliùs hoſpes, & advena; ſed erit in æternum civis Sanctorum, & domeſticus Dei.*

CAPUT XV.

De damnatis ad opus.

INter antiquos martyres aliquando viri nobiles, & ingenui damnabantur ad opus, & illud ſervile, ac laborioſum: ut erat Agrorum cultura, & cuſtodia gregum, & armentorum. Hac pœna plexus fuit Hormiſda Perſa ex Illuſtriſſimo genere Achemenidarum; hac etiam Armogaſtus inſignis Comes, & eâ demum plures Epiſcopi, & Epiſcoporum Princeps Marcellus Papa ſub Maxentio Tyranno. Epiſcopale inſtitutum ad hanc pœnam, & nunc quoque cunctos damnat Epiſcopos. Villicationis ſuæ rationem æterno Patrifamilias reddere debent: ergo ſunt Villici; & Chriſti prædia, vineas, campos, & agros tenentur excolere. Quilibet Epiſcopus eſt conſtitutus à Deo in ſua Eccleſia, quemadmodum olim Jeremias Propheta in tota Judæa, [a] *Ut evellat, & deſtruat, & diſperdat, & diſſipet, & ædificet, & plantet.* [a] c.1.
Quando igitur erit ei requies ab opere? Quando namociari licebit; ſi modò evellere mala germina; modò de-

destruere inutiles arbores; modò disperdere iniqua semina; modò dissipare congestas vepres; modò ædificare turrim, horrea, & celleraria; modò tandem plantare vineas, & pomaria tenetur? Serit ipse bonum frumentum; *& inimicus homo superseminat deinde zizania. Cadit frumentum, aliud inter spinas, & suffocatur; aliud super petram, & natum arescit: aliud secus viam, & aves Cœli rapiunt illud: quod verò cadit in terram bonam, fructum affert, aliud centesimum, & aliud sexagesimum.* Hoc fructu gaudet agricola, eoque compensat labores irritos alterius seminis malè sati: verùm, antequam ipsum fructum in horreum congreget, sudabit, algebit, æstu uretur, & gelu; sementem excolet, mundabit, secabitque maturam; triturabit, purgabit, ventilabit, molet, in panes coquet; vixque tandem comedet de fructu manuum suarum. Duriùs, impensiùs, molestiùs laborabit in vineis; nec merum bibet ex eis, nisi post longos mœrores. Silvestres arbores reddet translatione, atque insitione domesticas; nec poma ex eis aliquando colliget, nisi tarda expectatione adoleverint, brumâ, boreâ, sirioque devictis. Hæc, & plura, ut agricola: quæ verò patiatur, ut Pastor, ut institutor, ut animalium Eruditor, solâ malitiâ perversè rationalium; explicari non potest. Interrogatus quidam Philosophus, *quænam inter bestias immanior esset?* Respondit: *inter feras, Inimicus; inter cicures, Adulator.* Quot ergo Episcopus subditos habet, aut durè aversos, aut blandè fallaces; tot bestias nutrit, & feras, & cicures. De immanibus alibi loquar; nunc sermo est de aliis, quæ regi, vel invitę patiuntur. S. Gregorius Nazianzenus in apologetico mirè describit, & subditorum in uno, & vario, simulque

mul-

multiplici animali naturam, & Episcopi in eo regendo laboriosissimam artem. Is ergò sic ait: *si fieri posset, ut ex multis animalibus, ac bestiolis, genere, ac specie diversis, magnis, & exiguis, ferocioribus, & mitioribus, asperioribus, & lenioribus, unum aliquod animal, & bestia una constaret; hæc utique ad mitigandum, si cui crederetur, quantum ei immineret operis, ac laboris; quantum ejus requireretur industriæ; ut unicuique bestiarum, vel animalium, prout mos exigit singulorum, vel prout natura poscit? quoniam quidem neque eadem vox apta est omnibus, neque eisdem (ut ita dicam) sibilis aguntur; sed nec cibus quidem unus est bestiis; ita ut interdum iisdem ipsis, quibus mitigantur aliæ, ad furorem aliæ suscitentur; quibus ergo se modis singulis, quibusque bestiæ hujus ille eruditor aptabit? Quomodo se ad uniuscujusque naturam, atque ingenium accomodabit? Non necessè erit eum, cum sit apud semetipsum simplex, & constans, tam fieri varium, & tam in diversa mutabilem, quod poscit ipsa diversitas bestiarum; ut unumquodque animal pro naturæ, & ingenii sui opportunitate curetur, quod poscit totius bestiæ corpus ex tanta diversitate compositum, rectè inter se invicem bestiolis moderatis, in pace, ac tranquillitate persistere? Ita ex multis, ac diversis, & moribus, & linguis, & institutionibus, velut unum animal compositum, sibique dissimile, commune hoc corpus Ecclesiæ, qui instituendum suscepit, ac regendum, cum esse debeat ipse apud se semper immobilis, & idem; necesse habet tamen, singulorum, & moribus se, & institutionibus conformare, ac sermonem suum aptare singulis opportunum.*

Ex hoc eximii Doctoris exemplo, ac similitudine clarissimè constat, quemlibet Episcopum verè damnari ad

opus, & ad opus difficillimum ęquè, ac laboriosissimum. ad regendum, scilicet, monstrum; & hoc plurium capitum, naturarum, affectuum, & passionum. Quale portentum, audire idem animal ex grandi populo compactum voces edere longè diversas; non quidem ore, sed moribus! Id adeò expavit idem Gregorius, ut propterea fugerit in Eremum; eligens potius, habitare cum Draconibus, quam monstruosissimum animal educare. Verùm, non despondeant animum Episcopi; nam in re difficillima Deus aderit, dabitque cibum idoneum; nempe, zeli, charitatis, & discretionis, quo ei monstrum illud fœtu mirabili quotidiè filios pariat humanos, rationabiles, dociles, pios, atque devotos. Hac prole, non rarò satis numerosâ, gaudere debent Episcopi, tantòque jucundiùs, quantò mirabiliùs ex informi seminario formosissimos partus educunt. Itaque sive campos, & vineas colant, sive animalia pascant: habent in emolumento solatium. Labores, fructus, & gloria sequitur, *& virtus ipsa per labores incedit* (ut inquit Hesiodus). Libet unumquemque Præsulem Divi Bernardi verbis ad Eugeniũ, hortari, & solari: [a] *Agnosce hæreditatem tuam in Christi Cruce, in laboribus plurimis. Felix qui potuit dicere: plus omnibus laboravi. Fuit autem hic Paulus Apostolus; qui* (ut ait Augustinus) *laboravit nobis; hoc est: Episcopis in exemplum.*

[a] *lib.2. de consid.*

CAPUT XVI.


De damnatis ad aliud opus; nempe, ad eruendos, & secandos lapides.

NON [a] *est viri, timere sudorem.* In eruendis, & secandis lapidibus magnus profectò sudor effunditur, & cum

[a] *Senec epist. 30.*

& cum etiam ad hoc opus damnentur Episcopi, illum timere non debent. Damnantur autem, & perenni labore, cum à Præsulatus initio ad mortem usque corda quædam lapidea de penetralibus obduratæ consuetudinis, tamquam de terræ visceribus, eruere, ac subinde secare teneantur; ut aliquando tandem aptari possint cœlesti ædificio. Quot homines, omni motu, omni sensu, omni vita pietatis carent, & veluti durissimi Iaspides in impietate obduruerunt? Hæc marmora, in obstinatæ malitiæ latebris profundè sepulta, perfodere, exscindere, ad lucem veritatis eruere oportet. Id autem quantum laboris exigit, & sudoris! Par duritiei robur; par ponderi opus. Eruta jam de absconditis marmora, secari debent, & fabricæ, cui destinantur, aptari. Ah! quoties scindi non sustinent. Quoties hebetant ferrum! quoties scalpra retundunt! quoties obterunt seras! In marmorum sectione opus est aquâ jugiter manante juvari: & in secandis marmoreis cordibus pro aqua sudor tantùm, & perennes lachrymæ inserviunt; quibus tandem, favente Deo, saltem aliquot ad pœnitentiam scinduntur. Maximianus Augustus, Romam ex Africa rediens, Thermas illas ædificavit, quas maximus Assentator de sui Collegæ nomine Diocletianas apellari præcepit. Ut autem opus immensum citò perficeret, Christianos omnes, & inter eos multos Episcopos, ad eruendos, & secandos lapides tanquam reos damnavit læsorum Numinum. Hi verò quantum laborarint, vel rudera tantæ molis ostentant. Quid, si tunc prævidissent, partem operis aliquando cessuram in Templum Deiparæ Virgini, Angelorum Dominæ, consecrandum; ibique Ascetas piissimos, ad animæ, non ad corporis balnea, percelebri

fama mansuros? Exultassent profectò, & magno jubilo labores ingeminassent, neque sensissent. Quam ergo alacriùs Episcopi omnes eniti debent in eruendis, & secandis marmoribus, hoc est, lapideis obstinatorum cordibus; non ad Thermas profanas, & aliquando casuras inani studio excitandas; sed ad ędificandum Templum Deo viventi, in æternum mansurũ in gloria cęlesti, ubi Sancti omnes, & omnes Angeli, & Angelorum Regina triumphant, & ipsi quoque triumphabunt?



CAPUT XVII.

De Damnatis ad metalla.

GRandis labor Episcoporum in eruendis, secandisque marmoribus, ad excitandum Templum Altissimo; sed longè major eorum exercitatio in fundendis metallis ad ejusdem Templi ornamentum. Non fuerat satis Regum sapientissimo Salomoni, extruxisse Templum toto Orbi celeberrimum, nisi magnificentissimè ornasset opere fusili, ex ære, argento, & auro, ut habetur secundo Regum. Sacri Præsules Ecclesias Deo, non solum ædificare, & consecrare, verùm etiam, & ornare tenentur. Pro earum spirituali structura lapides, & marmora eruisse, ac secasse parum est; nisi ad illarum ornatum pretiosa metalla conflaverint. Creantur animę rationales compacto jam corpore, per cujus venas, & arterias absque ulla extensione diffusæ, illius contrahunt limositates, & fæces. In his fodinis laborare debent Episcopi, & de illarum profundo, ęreas, argenteas, aureasque glebas eruere, & asportare de imis ad summa:

ma : nimirum passiones, & desideria mala, seu inutilia subditorum, ab inferioribus ad superiora transferre. Angolani Cafres, qui de Africa deportantur in Americam, empti, & innocentes damnati ad metalla, optimè norunt, quàm laboriosissimum æquè, ac periculosissimum sit in Peruanis fodinis hujusmodi glebas eruere, ac erutas ad lucem efferre. Ipsorum morbi, & frequentissimæ mortes id clarè testantur, Pretiosa hæc pericula fodiunt etiam Episcopi; dum animas virtutibus aptas, vitiis immersas, aut obrutas, eruere studiosissimè satagunt, in quo labore lassantur, infirmantur, & plerique moriuntur. Oh quàm difficile, quàm arduum, quàm periculosum est, consuetudinarios ab usu divellere! Id satis apparet in avaris, quos sordidos aptè vocamus: in lascivis, qui congruè cænosi dicuntur; & in aliis, quorum vitia versa sunt in naturam. Opus est divinum potiùs, quam humanum. Ita Publicanorum terrea corda, facta sunt ænea; sordida Zacchæorum, argentea; cænosa pellicum, aurea.

S. Cyprianus, & ipse Præsul, & Martyr Gloriosissimus, Coepiscopos ad metalla damnatos his verbis ita solatur.[a] *Quid verò mirum, si vasa aurea, & argentea in metallum; id est auri, & argenti domicilium, dati estis: nisi quòd nunc met illorum natura conversa est; locaque, quæ aurum, & argentum dare antea consueverunt, accipere cœperunt?* Id habet à Deo Episcoporum charitas, & puritas, & constantia, ut ipsorum curæ subjectas animas, licet sordidas, & cænosas, & terreas, in sui naturam laboriosè transforment. Æs conflant durissimum ex cupro pridem æruginoso, & stamno jam flexili: argentum depurant à plumbo peccati, & ab auro scoriam

[a] Epist. 25.

riam separant infirmarum affectionum. Præfiguravit Deus Episcopos ad metalla damnatos in Beseleel, & a Exod 31. Ooliab; [a] *Quos implevit spiritu suo, & in corde ipsorum posuit sapientiam; ut facerent Tabernaculum fœderis, & Arcam testimonii, & propitiatorium, quod super eam erat, & cuncta vasa Tabernaculi, mensamque, & vasa ejus; candelabrum purissimum cum vasis suis: & Altaria Thymiamatis, & holocausti, & omnia vasa eorum, la-* b Regü 3. c. 7. n. 14. *brum cum basi sua.* Eosdem quoque designavit in [b] Hiram Tyrio artifice ærario; [c] *quem Salomon elegit plenum sa-* c Regü 3. c. 3. *pientia, & intelligentia, & doctrina, ad faciendum omne opus ex ære*; quo ad miraculum totum Templum ornavit, & incredibili arte superavit metalli pretium, & copiam inæstimabilem. Hac arte pollere debent Episcopi; utpotè proprio munere ad metalla damnati; non tantùm, ut fodiant, ut eruant, ut coquant, ut purgent; sed ut præcipuè ornent ex eis sapientissimè fusis, mirabilique magisterio conflatis, non arcam, sed Deum fœderis, templumque, non manu factum, sed spiritu Dei vivi, æternitati dicatum. Hoc opus, hic labor! Eliquare metalla, genio, vitio, usuque peccandi, durissima; Inter quæ Hydrargyrion; Hoc est argentum vivum instabilis voluntatis sæpe miscetur, & inter Artificum manus, aut evanescit, aut fugit. Quam arduum, informare metalla! Quam operosum cælare! Verùm, quam gloriosissimum, informasse, ac cælasse? Et hoc Deo, & æternitati?

Gaudete Præsules, & effusè lætamini: *nam merces vestra copiosa est in Cœlis, ubi, & vasa honoris, & simulacra probitatis, opus manuum vestrarum invenietis*, in quibus sculpta, vel fusa legentur nomina vestra. Periis-

sent

ſent cęnoſæ glebæ, dura metalla, & informia, vaſaque iræ: niſi veſtro labore, ac ſudore purgata vitiis, virtutibus conflata fuiſſent. Ibi invenietis, & per ſæcula ſemper manſura, lætantes intuebimini veſtrum opus Deo charum & (ut jam dixi) æternitati dicatum.

CAPUT XVIII.

De damnatis ad præcipitia.

QUos nuper vidimus,ad inferiora terræ deſcendere, ut de illius viſceribus rudes lapides, & indigeſta eruant metalla: nunc ſuſpiciemus in altum evehi, *ut lapſu graviore ruant*. Erat Romæ Rupes Tarpeja, quę dicebatur etiam *Robur*, unde plures Martyres fuere dejecti. Epiſcopalis Thronus eſt iſta rupes, ex qua impelluntur Epiſcopi, ut cadant in præceps, & collidantur, & pereant. Ante hoc ſublime faſtigium tectas voragines malignantes effodiunt; ut inviſos Præſules ſecreto impulſu deturbent, & obruant. Quos ipſis præeſſę non ſuſtinent, præcipites agere conantur, ut ſubſint. Hùc dirigunt ſuas machinationes, & impoſturas. Commovent Plebem; ſuſcitant lites; offundunt ambages; ut confuſâ vertigine circumacti in foveam cadant illis paratam. Alliciunt familiam, arcana pertentant; proditorem, aut faciunt, aut quærunt: adulterant verba, falſant ſcripturas: mendacia confingunt, evulgant; ita ut difficillimum ſit, eos utcumque ſtare, qui nihil firmum, nihil ſtabile ſub pedibus habent. At, non raró impii Verſipelles in puteum decidunt, quem ſuis Pręſulibus effoderunt. *Qui ambulat ſimpliciter, ambulat confiden-*

fidenter. Ita Spiritus Sanctus affirmat, de cujus fidelitate diffidere, sacrilegum, & hæreticum esset. *Bonæ menti succurrit Deus*: hùc Episcopus omnes suas actiones, & operationes, rectâ, purâque intentione dirigat, & nil timeat: *Dominus enim supponet manum suam*; & *qui se de supercilio montis præcipitandum abscondit*, eum quoque invisibili protectione salvabit.

Concionem aliquando habet Episcopus de suggestu, aut de Cathedra, omnemque Clerum, & Populum Christianæ pietati suis verbis fortissimè adigit. Eo subinde aliò digresso, inimicus homo, altum, occultumque puteum effodit, in quem ille regressus decidat. Clam convenit, & singillatim, quos ab Episcopo noscit aversos, & quæ ab eodem catholicè fuerint prolata, callidè apud quemlibet in pravum sensum deflectit. Facilè potest homo versutus simplices, & immemores hac arte decipere, deceptosque cogere, ut paratæ ab eo accusationi subscribant: quibus viribus ipse nixus, rem temerè quò libet, deferet, ut suum Episcopum magno conatu paratam in foveam cæcus impellat: ille tamen, impulsus, minimè cadet; sed stabit immotus, & impellentis fallacias, & astus deteget, eludet, ridebit. Ex hac filii audacissima impietate in sacrum parentem satis apparet, quæ à perduellibus præcipitia cuique Præsuli fodi possint. Discipulus Magistrum accusare præsumit; *mutat rotunda quadratis*: quæ de causis Episcoporum Sacrum Tridentinum Concilium statuit, ignorat; & dum agit sophistam, insignem se sycophantam ostendit. Quid non moliatur impius, quando fidei Propugnatorem audet de perfidia incusare?

In

[a] *In sublimi fastigio dignitatis non figit gressus stabiles, nisi matura sanctitatis gravitas* (inquit Philippus Abbas) . Verùm, nulla sanctitas adeò figere potest, quin instabiles perversitas fingat. Persæpè deferuntur Episcopo Virginum, Nuptarum, aut Viduarum pericula, vel etiam casus; quas, ut eripiat, aut erigat, per prærupta, per ardua, per declivia ire compellitur, & quanquam inoffenso pede opus perfecerit: eum nihilominus, si non cecidisse; impegisse saltem, aut cespitasse, Osores evulgant. Quò non descendunt Pastores; ut oves, aut propè casuras, aut jam dilapsas, eripiant? Denique, non desunt internæ vertigines, quibus eorum capita die plerumque rotantur; ut vix stare possint. Periculosa res est, in lubrico magna moles; & contermina sunt præcipitia fastigiis. *Qui stat, videat, ne cadat*; & agnoscens tanti muneris onus, ac pondus, itemque altitudinem, & ventorum, ac turbinum deorsum impellentium rabiem, adjutorio Dei firmiter innitatur, prudenterque se gerat; nec timeat: *Angelis enim suis Dominus mandavit de ipso, ut custodiant eum in omnibus viis ipsius; qui etiam in manibus portabunt eum, ne unquam offendat ad lapidem pedem suum*; & corruat. Si quis tamen innocens validissimo malignantium impulsu corruerit; aut adhuc vivens illęsus ad altiora consurget; aut mortuus æthera scandet, & inde manifestabitur etiam hominibus gloriosus; cogetque Deus (ut aliquando fecisse legimus) ejus exuviis, & statuas, & symulacra inclinare cervices. Si olei gutta in Oceanum cadat, desuper semper erit; & si vi tempestatum desidentibus undis ad ima feratur; eis subinde tumentibus exurget in altum. Ita veritas, & innocentia deprimi, non opprimi possunt; & quos

a lib. 2. de dig. Cleric. c. 18.

depreſſionis habent auctores, exaltationis ſortiuntur miniſtros. Qui Joſephum dejecerunt in puteum; eumdem, vel inviti, extulerunt in ſolium; & adoravere proni, quem olim elati depreſſerant.

CAPUT XIX.

De Damnatis ad naufragia.

IN Apocalypſi *Populi Aquæ* dicuntur, quorum Congregationes efficiunt hoc mare magnum, & ſpatioſum manibus; ubi Navis Petri modò fluctuat, modò penè mergitur ex ingenti captura piſcium: itaque tam ipſi eſt perniciosa proſperitas, quàm utique periculoſa tempeſtas. Perire tamen, & verum naufragium pati non poteſt, ſedente ad clavum in ſuo Vicario, marium, ventorum, naturæ Domino. In ſinus omnes hæc ſe navis inducit; eoſdemque ipſa, & Oceanus terminos habent: qui etiam illa maria complectuntur, quibus Nautæ ab Inſularum frequentia, & numero Archipelagi nomen dedere; ut ſunt, in Græcia Ægeum, in Indiis Maldivum, in Luzonia Sancti Lazari, & alibi alia. Ad horum ſimilitudinem unaquæque Diœceſis Ægeum dici poteſt, quod tot Inſulas habet, quot Eccleſias includit. Per eas Epiſcopi animus circumfertur, naufragio ſemper expoſitus. Ut eſt inquieta humana conditio, ferè ſemper mare intermedium procellis æſtuat; nec ſinit Præſulem Inſulas ſibi ſubjectas plerumque inviſere, cogitque diù in ſtatione manere. Raro tranquillum reſpicit, & verè pacatum. Tunc autem dat carbaſa ventis; at dùm putat ſe proſperè navigare, inopinatus Aquilo,

aut

a ut Eurus tempeſtatem excitat, eumque in mediis undis intercipit. Egregius Nauta fluctus eludit, & magnâ ſe arte tuetur; at ventorum pertinaciâ, mariſque rabie plus nimio agitatus, cogitur vela colligere, dimittere remos, & malo clavum ligare, non ferente navi gubernium. *Qui deſcendunt mare in navibus, facientes operationem in aquis multis, ipſi viderunt opera Domini, & mirabilia ejus in profundo: dixit, & ſtetit ſpiritus procellæ, & exaltati ſunt fluctus ejus, aſcendunt uſque ad Cœlos, & deſcendunt uſque ad Abyſſos: anima eorum in malis tabeſcebat: turbati ſunt, & moti ſunt ſicut ebrius, & omnis ſapientia eorum devorata eſt.* Ita Regius Propheta, & maris, & nautarum æſtus deſcribit; quos ipſe olim in aquis millies expertus, nunc in Populis ferè ſemper experior. At longè ſævior tempeſtas animorum, quam undarum: has enim agitat motor externus, & niſi impellantur, quieſcunt; illos verò commovet, tum propria, tum aliena malitia, nec ulla inquietat neceſsitas, ſed voluntas. Foris, impoſtor, ſuſurro, correctio, pęna irrogata, denegata gratia: intus, præſumptio, ſuſpicio, paſsio, læſa conſcientia, livor, odium, vindicta, fluctus excitant decumanos; ut navim illidant in ſcopulos; aut aperiant in Syrtes; aut frangant in littus; aut obruant in vortices; aut abſorbeant in profundum. Interim Præſules in malis tabeſcunt; turbantur, et fiunt ſicut ebrii, et omnis eorum ſapientia devoratur. Nil remanet ampliùs, quam, ut clament ad Dominum, *quatenus de neceſſitatibus errorum eripiat eos; & ſtatuat procellam in auram; & deducat eos in portum voluntatis eorum.* Ita ingemuit in ſuis preſſuris Epiſcopus ter Magnus Gregorius dicens: *undique cauſarum fluctibus quatior, ac*

tempestatibus deprimor. Fusiùs autem id scribit Leandro Hispalensi. [a] *Tantis* (inquit) *hujus Mundi fluctibus quatior; ut vetustam, & putrescentem navem, quam regendam occultâ Dei dispensatione suscepi, ad portum dirigere nullatenus possim. Nunc exadverso fluctus irruunt; hinc ex latere cumuli spumosi maris intumescunt; nunc à tergo tempestas insequitur. Interque hæc omnia turbatus, cogor, in ipsam clavum adversitatem dirigere; modò curvata navi, impetum fluctuum ex obliquo declinare. Ingemisco, quia sentio, quod negligente me crescit sentina vitiorum, & tempestate fortiter obviante, jam, jamque putridæ naufragium tabulæ sonant. Flens reminiscor, quod perdidi meæ placidum littus quietis, & suspirando terram conspicio, quam tamen, ventis adversantibus, tenere non possum*. Nil minùs, immò plus patitur quilibet Præsul in suo turbulentissimo Ægeo; ubi desunt ei summa Gregorii ars, & potestas. Procellis expositus, certò sciat, se aliquando cum Paulo in profundo maris futurum; & cum eodem facturum, non ter, sed pluries naufragium: & utinam salvis animabus, tàm sua, quàm Vectorum! Salvabit autem, si aliquando dormientem in navicula Redemptorem suis orationibus excitarit; qui novit etiam in naufragio æternæ felicitatis portum concedere. Quam benè igitur (ut liquet ex dictis) Magister Angelicus quærens, [b] *quid sit potestas culminis?* sibi respondit: *Tempestas mentis*. Verè tempestas mentis, qua semper agitatur, & natat. Gaudeat nihilominus Episcopus nauta; quandoquidem ipsa tempestas, aut etiam naufragium, eum citius deducet in portum (ut in vero mari etiam mihi quandoque contigit) ubi peractæ navigationis, Deus erit in statione perpetua, merces perennis, & magna nimis.

C A-

[a] epist. 41. in regist. lib. 1.

[b] lib. 1. de erudit. princ.

CAPUT XX.

De fame, & siti.

QUod olim plerique Martyres fame, ac siti necati fuerint, sacræ testantur historiæ, præsertim verò id accidit in Africa sub persecutione Wandalica, quando fideles cum suis Episcopis, aut pellebantur in vastissimas Ægypti, & Lybiæ solitudines; aut navibus impositi absque ullo penitùs commeatu, si non mergebantur fluctibus, inediâ saltem, ac siti conficiebantur. Mors planè atrocissima, quæ vitam non adimit, sed absumit. Hæc semper imminet Episcoporum faucibus, quorum cibus est subjectarum animarum salus, potus verò lachrymæ pœnitentium. Quoties, & quamdiù ab hoc cibo jejunant, hoc potu privantur! Satagunt, insudant, ut mensam spiritualibus his dapibus compleant, ut pocula pio latice impleant: pereuntes animas omni studio salvare conantur, pervicaces convertere: sed rarus est, qui pareat; multi, qui pereant: & vix ullus contumax aliquando conteritur.

Videt Episcopus in suo Populo plures abusus, & dum veteres curat abolere, novo gignuntur. Luxus, familiarum, & Urbium pestis, in dies augetur; commessationes, crapulæ, census absorbent: lusus impuri, joci procaces, choreæ improbę, obscęna Theatra, promiscui sexus nocturni conventus, criminosæ amicitiæ; vitia fovent, pudicitiam eliminant, animas perdunt. Episcopus, esuriens, & sitiens justitiam, è suggestu, de cathedra, de curia, voce, scripto, precibus, imperio, ea mala evel-

evellere ſtudet, quæ tamen fortiùs radicantur, & pullulant. Itaque fructus perdit, quibus veſci anhelabat; labique aquas videt in præceps, quas ambiebat Deo propinare.

Felix Moyſes, qui potuit manna, & avibus ſaturare Populum eſurientem in deſerto, aquiſque de petra ſitientem abundè potare! Profert Epiſcopus *panem de Cælo*, carnes Agni immaculati; Divinarum Scripturarum *aperit fontes: at ejus Populus nauſeat ſuper hoc cibo ſuaviſſimo, & relictis aquis ſalientibus in vitam æternam, fodit ſibi ciſternas diſſipatas, quæ lutum continere vix poſſunt.* Itaque in eſuriente plebe ipſe inediâ conficitur, & in ſitiente tabeſcit; fame, ſitique mori damnatus. Invidet propterea Neocęſarienſi Gregorio proſperitatem, qui eſuriens, & ſitiens, quamdiù vixerat, in populo ſibi commiſſo juſtitiam; tandem, benè fartus, & ſanctè ebrius, mortem obivit: dum tam magnam Civitatem, quàm penè ſterilem, aridamque repererat; fidei, cæterarumque virtutum planè feraciſſimam, lacteque, ac melle pietatis manantem reliquit. Verumtamen faciat Epiſcopus audacter, quod poteſt; operetur indefeſsè, quod debet; exequatur prudenter, quod ſcit: & licet animarum quæſtu, pœnitentium lachrymis expleri non poſſit; beatitudinem nihilominus conſequetur. Dicit enim æterna veritas: *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam; quoniam ipſi ſaturabuntur*. Illa ergo beata ſaturitas promittitur etiam eſurientibus, & ſitientibus juſtitiam; quamquam ex aliena ſterilitate, ac malitiâ hic eam edere, ſeu bibere nequeant.

CA-

CAPUT XXI.

De Veneno.

UNi Mitridati fortè concederem Episcopatum ambire, qui ab incunabulis veneno nutritus, venena sub infulis timere non posset. Sacrum enim Antistitum prædia, horti, mensa, & altaria, serpentes, aconita, cicutas habent, quibus vita, vel famæ, vel corporis eis aufertur. Hoc unum genus martyrii, etiam hodiè, sublatâ Tyrannide, clam in Episcopos sævit, non misticè tantùm, sed aliquando etiam physicè: nunquam desunt sacrilegi Parricidæ si putent nesciri (timentes, non censuram, sed gladium; & ultionem dumtaxat humanam, non verò divinam) Salutiarum Episcopus Juvenalis Ancina, S. Philippi Nerii alumnus, & æmulator: nostris temporibus hac arte sublatus est; alius mihi notus virus semel haustum evomuit, bis propinatum elusit, pluries indicatum non cavit; habens in Deo spem, & fiduciam. Ex venenis autem quædam mortua sunt, quædam viva; hæc in animantibus, illa in toxicis, quæ non omnes Episcopos, nec semper inficiunt: at alia penè omnes, & ferè semper. De malignantibus loquor, qui, juxta Regium Prophetam, *acuerunt linguas suas sicut serpentis, venenum aspidum sub labiis eorum.* Quis unquam Episcoporum, & quamdiù ab hoc veneno fuit immunis? omnes vitiosi sunt contra eos venenosi; cum corriguntur, aut puniuntur, vel etiam timentes corripi, aut plecti, virus minantur, mordent, inficiunt. Sit innocens Præsul, sit rectus, & justus, eorum linguas non effu-

effugiet; sed ipsarum nequitia percussus, tabescet, fietque apud omnes de sospite venenatus. Crimina effingunt, & adeo atrocia, tantâque arte descripta; ut omninò appareant credibiliora veris, quibus eum, & prope lacessunt, & procul accusant; in id anhelantes, ut illius, aut famam virulentis notis conficiant; aut vitam infectis delationibus adimant. *Fel Draconum sub labiis eorum, & venenum Aspidum insanabile.* Quoties moliuntur, ut contra insontem iniqui fabricentur processus, ut delegentur Judices, ut deputentur Vicarii! omni æstimatione, omni auctoritate spoliatum volunt; & si quandoque id assequuntur, exultant, gloriantur, exibilant. *Verè Aspides sunt obturantes aures suas, ne audiant vocem Patris incantantis vehementer*, hortationibus, monitionibus, precibus. Non tamen paveat Episcopus, cujus præsertim ordini, verè Apostolico, datum est in Evangelio, serpentes tollere, mortiferumque bibere innoxiè.

Victor secundus, ut habetur in sacris Annal.[a] Calicem, cui Subdiaconus venenum miscuerat, de altari tollere non potuit. B. Pius V. Crucifixi pedes tabe infectos, attrahi vidit, ne illos exosculando ipse conficeretur. Sabinus Canusii Episcopus, cæcus, & senex, virulentum poculum hausit, sibi ab Archidiacono, qui ejus cathedram ambiebat, callidè propinatum: at dum biberet, virus præsentiens *quod ipse* (inquit) *illæsus nunc sorbeo, statim propinantem occidet*: prout accidit. Mille hujusmodi leguntur exempla Prælatorum innoxiè venenatorum, haustu, morsu, vel tactu. Dices tamen, & multos obiisse. Verissimum quidem: at non ideo infelices poteris nuncupare, quos virus, enecando, sacravit, & bre-

[a] Tom. 11. annal. 1155.

& brevi morte ad vitam perduxit ęternam. Sive lingua mendax famam, sivè quid noxium Episcopi corpus occidat; manebit semper incolumis, ipsius honor, & anima. Ita in sacris literis ille spopondit, qui falli, aut fallere nunquam potest. Ei semper fidendum est, præsertim verò ubi de venenis agitur, tam physicis, quam moralibus: non enim linguæ omnes exscindi, aut cuncti astus eludi possunt. *Ut vita, & mors corporis, ita & honoris in manu Domini*; qui solus utrumque, & mortificat, & vivificat. Mulier quædam nequissima, ut virum perderet, ei virus præbuit: at, cum non illicò moreretur, aliud violentius adjunxit; quo, contra uxoris votum ille convaluit. Id Ausonius argutè canens, apto epiphonemate claudit,

Quam pia cura Deum! Prodest crudelior uxor;
Et cum fata volunt, bina venena juvant.

CAPUT XXII.

De damnatis ad Bestias.

EGimus alibi de cicuribus, mox de Feris tractabimus, quibus Præsules expositi immanissimè dilacerantur. Sunt autem canes rabidi, vulpes dolosæ, lupi rapaces, ursi crudeles, pardi fallaces, tigres immanes, leonesque feroces. Nonne canis rabidus, qui cunctos mordet, & nemini parcit? Nonne vulpis dolosa, qui parat insidias? Nonne lupus rapax, qui diripit aliena? Nonne ursus crudelis, qui non læsus irascitur? Nonne pardus fallax, qui aliud in ore, aliud habet in corde? Nonne tigris immanis, qui nulla satisfactione placatur?

Nonne leo ferox, qui ſemper jurgia quærit? Ad has beſtias damnatus Epiſcopus, modò unius, modò alterius, modò plurium, & quandoque omnium ſimul ſuſtinet feritatem. Non quidèm ſemper earum furor in eum iraſcitur; ſed quandoque in alios, vel etiam in alterutrum; ſeu viciſſim. At verò, bonus Paſtor, & dulcis Pater, ovium, filiorumque plagas, & vulnera ſua reputat: & dum eos ab illarum unguibus, aut faucibus liberare conatur, ipſe fit præda, eſca, & laniena ferarum; ſi non corpore, ſaltem animo. A familiaribus aliquando proditus, quos pridem fidos canes, cicureſque domi nutrierat; ſubinde feros, perfidos, rabidoſque foris experitur; ita ut ſit ei opus pavère, quos pavit: extraneos autem ſub humana ſpecie plerumque reperit irrationales: verè damnatus ad beſtias planè diverſas: & quod infelicius eſt, qui ante vulpis apparebat, fit illico, aut lupus, aut urſus, aut pardus, aut tigris, aut leo, aut etiam hydra, tot ferarum, quot capitum; non quidem naturâ, ſed moribus, ſeu vitiis. Utinam hæc metamorphoſis, non homines in feras; ſed feras mutaret in homines! Verùm converſio plerumque fit in deteriùs; & vix aliquando divina Præſulum arte, doloſus evadit ingenuus; rapax, liberalis; crudelis, placidus; fallax, ſincerus; immanis, mitis; ferox, tractabilis. Quinimò id ſæpè accidit, quod ſibi contigiſſe ſcribit S. Ignatius Antiochenus Epiſcopus: *De Syria uſque ad Romam pugno ad beſtias in mari, & in terra, nocte, dieque ligatus cum decem leopardis; hoc eſt militibus, qui me cuſtodiunt: quibus, cum benè feceris, pejores fiunt*. Habet nihilominus Præſul ad hujuſmodi beſtias damnatus, in duplici remedio ſolatium; in oratione ſcili-

ſcilicet, & in fervore charitatis. Orando clamet ad Dominum: [a] *erue à framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam.* [b] *Ab homine iniquo, & doloſo eripe me.* [c] *Exurge, & ne derelinquas me, ſicut Paſtor gregem ſuum in medio luporum malignorum.* [d] *Non prævaleat contra me urſus inſidians.* [e] *Non immittas Domine, qui lædat me quaſi pardus.* [f] *Pereat tigris, & non habeat in me prædam.* [g] *Salva me ex ore leonis, & molas leonum confringe.* Charitatis verò fervore accenſus, beſtias non timeat, ſed terreat: & cum Ignatio dicat ex animo: *Utinam fruar beſtiis, quæ mihi ſunt præparatæ: quas & oro mihi veloces eſſe ad interitum, & ad ſupplicia, & allici ad comedendum me: ne ſicut, & aliorum Martyrum, non audeant corpus attingere. Quodſi venire noluerint, ego vim faciam; ego me urgebo, ut devorer: Frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Qui ſic loquitur, qui ſic audet, verè Jeſum habet in corde aureis notis impreſſum; cujus divinâ virtute *ſuper aſpidem, & baſiliſcum ambulabit, & conculcabit leonem, & draconem*: quod ſi Ferarum morſibus interierit; lucrum erit, cum Ignatio, moriendo viciſſe.

a Pſ. 21.
b Pſ. 42
c Eſdr. a: ca 5.
d Thrē. 3.
e Eccl. 28.
f Id. 4.
g Pſal. 21. & 57.

CAPUT XXIII.

De damnatis ad ignem.

DEi charitas *ignis conſumens eſt*; quo uritur Epiſcopi animus, ut ſalvet, eique reddat animas ſibi commiſſas. Segnior eſt flamma, quæ foris urit; quam quæ ardet interiùs. *Hanc flammam*, teſte Chryſoſtomo ſu-

ſuper epiſtola ad Corint., *Satan ferre non poteſt; qui poteſt ferre flammas Inferni*. *Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* dicebat Apoſtolus. Populi vitia, peccata, ſcandala publica, in corde Præſulis intolerabile augent incendium, quo vellet ea incunctanter abſumere: verùm, ſpe fruſtratus, ipſius viſcera vorat. Audit laſcivum corrupiſſe puellam; thoro inſidiari pudico; innocentem vitiare juventam; ſacras virgines impudentiſſimè circumvenire: ardet ipſe implacabili zelo, quem ſuo damno premit; ut cautiùs peractis malis, imminentibuſque provideat. Si res non ex voto ſuccedat; intenditur ignis, miſerumque Præſulem dirè conſumit. Videt feſta contemni, jejunia frangi, Eccleſias profanari, aut pollui, aut in ſuis juribus lædi: & ipſe, novus Veſevus, æſtuat, ejaculatur ad ſydera flammas; ut vel indè tot ſcandalis finem, aut ultionem imploret: quod ſi non exoraverit; ſe mons exùrit, & cęco incendio vertit in cinerem.

Explicari non poteſt, quam ſit zelanti Epiſcopo intolerabile, filiorum ſuorum cernere mala, & non pellere; agnoſcere vitia, & ignoſcere; prævidere damna, & ſilere: inops enim conſilii, & viribus impotens, quid agat, quo ſe vertat ignorat. Occultus ignis intenſiùs ardet; occluſus diriùs vorat; obſtrictus violentiùs erumpit. Fornax eſt Epiſcopi pectus, cujus flammas bini folles incendunt; zelus, videlicet honoris Dei, ne lædatur; & deſiderium ſalutis animarum, ne pereant.

a Machab: cap. 2. [a] *Vidit Matathias Judæum Idolis immolantem, & doluit: contremuerunt renes ejus; & accenſus eſt furor ejus ſecundùm judicium legis, & inſiliens trucidavit eum ſuper aram: ſed & virum, quem Rex Antiochus miſerat, qui*

coge-

cogeret immolare, occidit in ipso tempore, & aram destruxit. Magnum profectò incendium fuit istud Matathiæ, quod tam violenter erupit in Apostatam, in hostem, in aram: verùm, erupit. Episcopi verò zelus pro gloria Dei, & legum observantia, qui sæpè non segniùs ardet, erumpere aliquando non potest; obsistente plerumque, aut Procerum, aut plurium fautorum astu, & potentia. Tunc accidit, quod in metallorum fornacibus fieri videmus, ubi flammarum vortices in semet reflexi, cum erumpere non possunt, quod intùs habent, intensiùs eliquant, & vorant. Ita Episcopi zelus, cum explicari non valet, ejus viscera intensissimè absumit. Oh! Si posset Episcopus, quoties videt publicè, impudenterque peccantem, eum, vel ut alter Phinees, debitâ pœnâ, tamquam pugione transfodere; quam facilè ipse leniretur, cohiberentur mala, & Deus placaretur! Quot Chrysostomos haberet Ecclesia; quot Ambrosios; quot Thomas Cantuarienses; quot Carolos! *Elias Propheta surrexit quasi ignis*; idest, *ardens zelo* (ut ait Lyranus) & igneo gladio Pseudoprophetas occidit nongentos quinquaginta. Moyses verò triginta tria millia de populo interfici jussit in ultionem offensi Numinis. [b] *Erat autem Moyses certè mitissimus; & tamen amatorio furore supra modum percitus, propriam etiam ignoravit naturam*: ut inquit Theodoretus; quod etiam de ipso Elia dici potest, qui timidus erat. Sed ubi honorem Dei graviter lædi viderunt, uterque vehementer exarsit, nocentesque magno quodam justi furoris incendio combussit. Non quidem hujus generis pœnâ Episcopus graviora peccata debet ulcisci, nec potest; cum in lege gratiæ longè mitior vindicta exigatur, & potiùs infligatur censura,

b c. 32.

ſura, quam vulnus. Senſus tamen commiſſi ſceleris tam acriter pectus Epiſcopi adurit; ut, ſi fas eſſet, Moyſen, & Eliam æmulari ſatageret: &, quia non poteſt, dirè torquetur: utinam ei permitteretur, enormia crimina, & atrociora delicta ſaltem vindicare cenſuris, Eccleſiaſticoque reſecare mucrone! ſed teſtium improbitas, perjurio confiſa; reorum impudentia, proprio, vel alieno culmine freta; miniſtrorum perfidia, pretio, ſeu favoribus empta, enervant juſtitiæ vires, eludunt Judicis artes, ejuſque ſtudia, & labores contemnunt. Itaque à peſſimis impunè peccatur, & ſcandala, quæ publica ſunt, ea tanquam ignota, præterire, aut diſſimulare opus eſt: quod etiam extorquet appellantium verſutia: etenim, niſi delictorum qualitas rectè, ac ritè probetur; niſi criminaliſtarum formulæ ſint exactè, ac ſcrupuloſè obſervatæ; niſi luce meridianâ clarior appareat culpa reorum, totus proceſſus cadit, acta irritantur, Judexque deluditur. Itaque abſolvitur crimen, plectitur zelus, & luit innocens pœnam nocentis. Quæ tunc exultatio, & objurgatio reorum, perjurio, potentiâ, perfidiâ vincentium! Quæ tunc Epiſcopi vim patientis confuſio? Quæ ipſius zeli torrida exuſtio! Mali triumphant; boni ſcandalizantur; & hujuſmodi ſpe impunitatis etiam non mali peſſimi efficiuntur. Nec Judex audet eos juris vinculo cohibere, quod ipſorum dolo videt potiùs reſcindi, quam ſolvi. Quot hinc mala ſequantur enumerari vix poſſunt: ſtupra, incæſtus, adulteria, ſacrilegia, concubinatus, nefanda ſcelera, delicta enormia, doctrinæ peſſimæ palàm graſſantur, & unà Clerum, populumque corrumpunt. Ardet interea Præſul, *& tabeſcere facit zelus ejus*, qui totus furit in

Judi-

Judicem impotentem, coactus parcere impudentibus! Hoc igne Christus exarsit, quando juxtà Joannem cap. 2. *zelus domus ejus comèdit eum, & expulit de Templo ementes, & vendentes, & cathedras nummulariorum evertit*. Hoc eodem efferbuit, quando turbæ de ipso dicebant: [c] *quoniam in furorem versus est: ità ut exierint sui tenerent eum*. Mirabile dictu! mitissimum Dei filium, & sapientissimum paterni honoris zelo ita exarsisse, ut eum nequissimi hostes vinciri oportere putarint, ac si (ut ipsis videbatur) in furorem fuisset actus. Æquanimiter ergo ferat Episcopus, quando simili percitus charitate, zeloque succensus, irridetur, ut furens, accusatur, ut sævus; damnatur, ut nimis acerbus: nam teste D. Chrysostomo super Matt. & D. Thoma, [d] *Superior, qui cum causa non irascitur, peccat: patientia enim irrationabilis vitia seminat; negligentiam nutrit; & non solùm malos, sed etiam bonos invitat ad malum*.

c Marcus 23.

d 2. 2 q. 155. art. 8. ad 6.

Quanto zelo conflagrarit Cantuariensis Archiepiscopus Thomas, is planè intelliget, qui ejus acta perlegerit in annalibus Baronianis; ubi eum longè ante martyrium martyrem extitisse clarissimè apparet; non tàm ex persecutione Anglicana, quàm ex admirabili dispositione divina; quæ illi tormentum indè magis adauxit, undè auxilium expectabatur; Plura in iisdem Annalibus circa id tempus de aliis Præsulibus referuntur, ex quibus liquet, Episcopos non rarò ad hunc ignem damnari, quo interiùs ardentissimè concremantur. Gaudeant nihilominus, & inde capiant solatium, undè sumunt ardorem: *hunc enim ignem in terris ille mittere venit, qui de Cœlis descendit; nec aliud vult, nisi, ut ardeat*. [e] *Bonus zelus, & utilis in Sacerdote* (inquit Ambrosius)

e in Ps. 118. ser. 18.

præ-

præcipuè, ne negligens, nec remiſſus ſit (unde vulgò dicitur; qui non zelat, non amat) zelus Dei vita eſt. Zelum habere debet Sacerdos, qui incorruptam ſervare ſtudet Eccleſiam. Angeli quoque ſine zelo nihil ſunt, & ſubſtantiam ſuam amittunt; niſi eam zeli ardore ſuſtentent. Cum ergò Epiſcopi in Apocalypſi vocentur Angeli, eorum naturam induere debent, quorum nomen ſortiti ſunt: non autem induent, niſi habuerint in cordis fornace magnum incendium: *Deus enim facit Angelos ſuos ſpiritus, & Miniſtros ſuos ignem urentem. Nihil ſic placet Deo, nihil ſic placat Deum, quomodo zelus Animarum*: dicit Riccardus Victorinus. *Nam zelo vindicatur Jeruſalem* (ait Ambroſius) *zelo Eccleſia congregatur*. Hoc ita exarſit Chryſoſtomus, ut nullatenus quieſcere poſſet, etiamſi multos quotidiè ad viam ſalutis reduceret; ſed inceſſanti ardore omnes ſalvare cupiebat, & ſatagebat, ut de ſe ipſe fatetur: [f] *nemo mihi dicat, quod multi correcti ſunt: hoc non eſt, quod quæritur; ſed ut omnes: quouſque hoc non videro, reſpirare non poſſum*. Ardeant Epiſcopi, & ſi alios incendere nequeunt, ſi eorum flamma reſtringitur, ſi abſque ſubditorum calore, ſe ipſos exurunt, & de ſua exuſtione tabeſcunt; gaudeant in holocauſtum tam ſacro incendio conſumi; ut enim ait Gregorius: [g] *nullum omnipotenti Deo tale ſacrificium; quale eſt zelus Animarum*. Ut dictum eſt ſupra ex Ambroſio: *qui non zelat, non amat*; & qui non amat non ardet, nec ſine ardore gratum Deo ſacrificium offerri poteſt. cujus odore ardoris vi reſoluto potiſſimum delectatur.

f hom. 13. ad Populu

g ho. 12 ſuper Ezech

CA-

CAPUT XXIV.

De damnatis ad gladium.

LOngum esset ad singulas species descendere sub unoquoque genere martyriorum, ac prorsus inutile; præsertim, cum non de corporali agamus martyrio, sed tantùm de spirituali; sub quo, ut in præsenti capite, non datur armorum diversitas, quibus diversimodè Martyres torqueantur, sive necentur; ut sica, mucrone, securi, ense, lancea, jaculo, aut sagittâ: verùm sub gladio hæc, & quæcunque arma complectimur: ita ut ille dicatur ferro analogicè occidi, cujus animam gladius pertransit; quemadmodum de martyrio Sanctissimæ Virginis olim Simeon prophetaverat. Hoc etiam intelligi volumus de quocunque alio spirituali tormento hactenus viso, sive per ignem, sive per aquam, sive per bestias expresso; ne prætermissum videatur, quod sub suo quoque genere comprehendimus.

Nil morte crudelius; & eam infert quodcunque ferrum, si præcordia transverberet; si caput amputet; si lethale vulnus infligat. Quæcunque Ecclesia unum efficit corpus, cujus caput Episcopus est, sub quo cætera membra pro ratione graduum congruè disponuntur. Amor Episcopi totum hoc corpus velut anima informat, & vegetat; nec aliqua ipsius pars lædi potest, quin ipse lædatur. *Ferrum* ergo *pertransit animam ejus*, quoties in membris offenditur; & mortem patitur, si offensa sit gravis; ut quando per inobedientiam caput à corpore abscinditur; aut quando per lites feriuntur

præcordia; aut quando per inimicitias, & odia membra læthaliter vulnerantur. Certè Præsulis caput abscinditur, quando reliquum Ecclesiæ corpus ab eo pertinaci rebellione pręciditur; quando schismata fiunt; quando subditi ab ipso superiore rebellant: quod tunc verè accidit, cum, excussâ subjectione, inferiora membra obedire contemnunt; cum Pastorem oves refugiunt; cum Lupum tanquam Pastorem hallucinatæ sequuntur. Non potest caput hærere corpori, si corpus non hęreat capiti. Abscinditur à corpore caput, non à capite corpus: et ita dici non potest, quod Episcopus ab inferioribus semet ullatenus dividat; sed quod inferiores se ab Episcopo subtrahant. Mens, ratio, dirigendo in capite residet, et reliquum corpus gubernat: verùm, si hoc regi nolit, sinè mente, sinè ratione, veluti obtruncatum, deficiet; sentietque caput, se ab eo crudeli ferro præcidi. Hoc, sed raró accidit, in generali totius Diœcesis à Præsule schismate; non tamen raró in unius, aut alterius, vel etiam plurium præcipuorum membrorum divisione. Quam durè, quam dirè obtruncat Episcopum hujusmodi nobilium partium factiosa rescissio! Ipsæmet propria multitudine fiunt audaces, protervæ, potentes; & multæ unum oppugnant, & in suam perniciem expugnare moliuntur. Quale monstrum! Incedunt membra capite inverso: meliùs dicam, habentia sub pedibus caput! Id autem præcipuè tunc accidit, cum arrogans sophista indoctos asseclas rapit in præceps, eosque dementes callidus seductor abducit. Quod si fortè communi causæ, licet iniquissimæ, aliam privati livoris, odii, & vindictæ jungere possit; sub specie communis boni, communi nomine insectatur Episcopum,

pum ; ejus famam dilaniat, cor transverberat, jugulat animam, nititurque alienis viribus, aut eum è medio tollere, aut cogere, seu cogi ad abscessum ; ut alius, vel defuncto succedat, vel adhuc superstiti substituatur. Hoc igitur acutissimo capulo Episcopi jugulum petitur, & innocens damnatur ad gladium.

Nec desunt huic Martyrio spicula, & sagittæ, quibus Præsul transfigitur ; dum iniquis litibus divexatur, & Ecclesiæ jura, quæ ipse tueri debet, callidè oppugnantur ; non quidem vincendi spe, sed animo feriendi. Passim invenit perfidia Patronos, & iniqua clientela nequiores causidicos ; quibus Judices non quidem seducti ; sed planè decepti, sententiam proferunt, & qui vicerunt, se vicisse mirantur ; secundisque rebus elati; pejora minantur, & cum placuerit, moliuntur, ut nova semper vulnera inferant.

Odia quoque privata, jurgia, rixæ, civile bellum, feriunt Episcopi animum ; & eò acriùs, quò utrinque ejus corporis membra feriuntur. Ipse in omnibus, in singulis reperitur, & cujusque in se recipit ictus ; nec quisquam læditur, quin ipse lædatur. Quantùm laborat, quantùm sudat, ut inimicitias componat, ut compescat iratos ! Verùm, perduelles,nil veriti Sacri Antistitis, aut præsentiam, aut officia, cæcâ rabie in mutuam armantur perniciem ; *& more ruinarum supra id, quod oppressere, franguntur*. Opponit pectus irruentibus armis Episcopus ; & hostes, tàm barbari, quàm sacrilegi, ut inimicum transfodiant, vel per viscera patris arma protendunt. Ita nuper contigit Nicoteræ Episcopo, quem hostes occidère, ut ejus corpore protectum inimicum occiderent. Quid sævius, quid immanius ? Hoc

tamen rarò contingit; ſemper tamen Epiſcopus vulnus in corde patitur; quoties, aut in ſingulari certamine, aut in tumultuario conflictu quis interimitur; & ſi eum contingat abſque Sacramentis decedere, quomodò ingemiſcit, & dolet! Tunc verè *gladius pertranſit animam ejus*, & ſine ferro fit martyr. Gaudeat nihilominus hoc martyrio coronari, quod ex paſtorali charitate procedit, & grande meritum habet: ut habuit Deipara Virgo, *cujus animam pertranſivit gladius*; qui fodit in clavis, & lancea corpus Filii, & Matris ſpiritum unà transfodit.

CAPUT XXV.

De damnatis ad Crucem.

C*Aput Martyrum Chriſtus*, *Epiſcopus Animarum noſtrarum*, hoc genus martyrii ſua morte ſacravit, & omnium nobiliſſimum reddidit; eoque inferiores Epiſcopos cum primis honorare deſiderans, *ſi poſt ſe ire velint*, *unicuique ſemetipſum abnegare*, *ſuam tollere crucem*, *eumque ſequi mandavit*. Adeò neceſſarium eſt, Epiſcopum crucem ferre, in eaque mori; ut neque Martyr dici poſſit, niſi cum capite Chriſto, & pro Chriſto crucifixus appareat. Reliquæ pœnæ, tormentaque cætera, ſunt Crucis prævludia; in cruce, & à cruce ſanctificantur, & in ea Martyrem collocant, ut Chriſto conforment, *qui Martyrum eſt corona*. Ipſe ait; *bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*; & quod verbis docuit, firmavit exemplo. Nos ergo, ejus, non ſolùm doctrinam, ſed & veſtigia ſequi debemus: ſequen-

ſequemur autem, ſi aſcenderimus cum ipſo crucem; & in ea, nondum veſtigia; ſed & manus configi patiemur.

Quod verò etiam hujuſmodi martyrium Epiſcopum maneat, experientia demonſtrat. Cum non acquieſcit carni, & ſanguini, cum vitia redarguit, cum virtutes promovet: *Animales homines, qui non percipiunt ea, quæ ſunt ſpiritus Dei*, Hębreorum more, adverſus Chriſtum Domini concilium colligunt peſſimorum; inter quos non deſunt, qui *expedire*, dicant, *ut unus moriatur homo pro Populo, ne tota gens pereat*: quaſi verò, non plebis malitia, ſed Paſtoris imperitia turbas excitet, dum veteres eradicare curat abuſus, & legum obſervantiam inſerere. Qui terrena ſapiunt, & inter cæteros prudentiores videntur, eum tolli, & crucifigi debere ſucclamant: & ſi quis contradixerit, eum quietis publicæ inimicum appellant. Poteſtatem ſubinde ordinis, & aliam juriſdictionis, de quarum fructibus paſcit oves, & de virgis regit, dirigit, atque compeſcit; profanâ ſecuri de Foro ſublata, vel etiam ſacra de templo furtim erepta, in crucem convertunt; in qua omni auctoritate ſpoliatum Epiſcopum figunt. Clavi, quibus ejus pedes, & manus cruci affiguntur, ſunt inhibitiones, vel laicæ, potentum, & impiæ; vel ſacræ majorum, per obreptionem, vel ſubreptionem extortæ, adeòque nullæ. Primæ, ſi non figunt ex metu, (quem dedecet robur Antiſtitis) quandoque id efficiunt ex pręviſione pejorum malorum. Secundæ verò ex reverentia ſiſtunt, donec tandem comperta veritas infixos clavos revellat. Quam ergo aptè, cum Paulo Gentium Apoſtolo, & Epiſcopo, is tunc dicere poteſt: [a] *Chriſto confixus ſum Cruci*!

[a] Ad Galat. 2.

Sic

Sic ergo cruci affixus Episcopus crucifixores suos, & illusores audit, & videt, murmurantes adversum se, *& moventes capita sua*. Ipse verò immobilis, nil facere potest, nisi tantùm clamare ad Deum; *ut illis ignoscat, quia verè nesciunt, quid faciant*; dum suo malo ita sæviunt in Pastorem, in Magistrum, in Medicum, in Parentem. In tam dira persecutione à suis deseritur, & omnes eum derelinquunt: si quis verò illius misereri videtur; ei acetum præbet felle permixtum, referens adversariorum amarissimum animum, querelasque, mordaces æquè, ac mendaces. Tota interim Diœcesis magnis motibus quatitur, & cum sacrum Tribunal patiatur eclypsim, vitiorum tenebris obcæcatur: & vix est ullus Nicodemus; vix ulla Maria, qui audeant in tanta malorum caligine lucem quærere.

Non desunt in hac Præsulis mystica crucifixione, innocentiæ venditor, & emptor, & qui eam hostibus tradant, traditamque, ream, uti falsi Testes, affirment. Reperiuntur etiam Herodes Antistitis derisores, qui cum propriis adversariis in ejus perniciem fœdus ineant, hac pessima occasione discissam priùs amicitiam sarcientes. Multò plura de hoc martyrio dicere possem, crucifixioni, probè convenientia, sed brevitati studeo, ne pœnam augeam, daturus solatium. Nemo tamen existimet, vel in præsenti, vel in præteritis hujusce libelli capitibus, me cujusque martyrii plenum, integrumque proposuisse genus, aut schema, in quo solari Præsules velim; cum ex hominum nequitia, ita unumquodque variari possit, & dividi; ut sunt multiplices casus, & circumstantię malorum, quibus illi passim afficiuntur. Communiora palàm exhibui, ad quæ facilè alia sub eodem

dem genere adversitatis, afflictionis, & pœnæ reduci possint; ut eâdem valeant Sancti Spiritus consolatione leniri. Nusquam verò copiosiùs hæc unctio divina superabundat; quam in speciali Episcopi crucifixione, in qua socium habet, quem Creatorem, Redemptorem, ac Deum confitetur. *Absit ei gloriari, nisi in Cruce Domini Nostri Jesu Christi, per quem salvati, & liberati sumus*: & quemadmodum ille *proposito sibi gaudio, substinuit Crucem, confusione contempta*: ita Episcopus ex contemplatione innocentissimi, & amabilissimi Jesu Crucifixi, perferat alacriter suam Crucem, ignominiamque despiciat. Noverit Episcopus, nunquam se posse Deo ampliùs, quam in hoc statu placere, sicut dilectissimus ejus Filius tunc illius iram adversùs genus humanum prorsus extinxit, quando immobilis in Cruce pependit: etenim in eo miserrimo agone peccatum, & mortem devicit, hominesque redemit. Videtur sibi Episcopus, pedibus, manibusque confixis, nil agere posse: quinimò suæ dignitati, populoque subjecto magnum præjudicium inferre; ac si spiritualis ejus crucifixio, bonis, & malis stultitia, & scandalum foret. Verùm quemadmodum Apostolus dixit, [b] *Se prædicare Christum Crucifixum, Judæis quidem scandalum; gentibus autem stultitiam*, & statim subjunxit: *ipsis autem vocatis Judæis, atque Græcis Christum Dei virtutem, & sapientiam*: ita, quod putat Episcopus, & gradui noxium, & plebi despicabile, utrique fit gloriosum; nec unquam plus agit, quam cum fixus cruci, moveri non potest: tunc enim ex Cathedra Christi excelsiores virtutes grandi exemplo Populum silendo docet. [c] *Lignum siquidem Crucis, in quo fixa erant membra patientis, etiam*

b 1. ad Cor. cap. 1.

c Trac. 119.

Cathe-

Cathedra fuit magistri docentis: inquit Augustinus: itaque Præsul in Cruce magister efficitur, dum tale martyrium fortiter, patienterque perferre dignoscitur. Multos ego vidi ex hujusmodi Episcopi crucifixione resipiscere à malo, & ad bonum converti; defervescentibus enim odio, & invidiæ, amor, & commiseratio succedunt; miranturque in eo virtutis magnitudinem, animique constantiam, quem ex proprio vitio persequebantur; & eum subinde imitari coguntur: quosque non potuit Episcopus agendo corrigere, patiendo convertit.

Attendat Episcopus, quæ Sanctus Maximus in sermone de martyribus ait: *Crux non solum dicitur, quæ tempore passionis ligni affixione conficitur, sed quæ totius vitæ curriculo cunctarum disciplinarum virtutibus coaptatur: ut non solùm intelligatur crux ligni patibulum, sed piè vitæ, virtutisque propositum: undè omnis Christiani vita*, & multò magis Episcopi, *qui secundum Evangelium vixerit, crux est, ac martyrium*: hanc autem *crucem*, (inquit Augustinus) [d] *ut in ea gloriemur Dominus suo gestans humero, pro virga regni nobis commendavit: quod est grande ludibrium impiis, grande misterium piis, & unde mundi Phylosophus erubuit; ibi Apostolus thesaurum reperit: quod illi visum est stultitia, Apostolo factum est sapientia, & gloria*. Ergo Episcopus grandi animo crucem perferat, quinimo ab ea deponi non curet: non minùs enim Deum glorificabit, eique placebit Crucifixus; quàm in sui muneris exercitio liber, & expeditus. Non est nostrum, eligere, quemadmodum Diæcesim aptè gubernemus; ipsius est id præscribere, cujus est dare: *cum non sit volentis, neque currentis; sed Dei miseren-*

[d] *in Epist. ad Galat. c. 5.*

ferentis. Non servus præripit sibi munus, in quo juxta suum placitum Domino serviat; sed ipse Dominus utrumque determinat, & munus, & modum; non propter indigentiam, sed propter Famuli obedientiam. Ipsius Imperium liberum est; quod vult, non quod volumus, jubet. Placet ei, quod petit, accipere. Displicet, si jussa (licet parva) negemus, & non jussa (licet magna) offeramus. Crucis ergo amantissimus Jesus, si nos ad ejus imitationem cruci affixos habere decernit, non jam inviti figamur cruci; sed eam spontè amplectamur, & cum dilectissimo ejus discipulo Andrea crucem suam ita ex corde quisque alloquatur: *O bona crux, quæ decorem ex membris Domini suscepisti, diù desiderata, sollicitè amata, sinè intermissione quæsita, & aliquando cupienti animo præparata: accipe me ab hominibus, & redde me Magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te me redemit. Salve Crux pretiosa, suscipe discipulum ejus, qui pependit in te Magister meus Christus.* Clamet etiam cruci affixus cum eodem Apostolo ad Deum: *ne me permittas, Domine, famulum tuum à te separari; nec me patiaris à cruce deponi; sed suscipe me pendentem in patibulo*, in quo tu Episcoporum Institutor, ab omnibus derelictus, pro omnibus mori voluisti. Non absque mysterio gestamus crucem in pectore; ut, scilicet, eam habeamus in corde, seu veriùs, ut cor figamus in ea. Materialem crucem Christi, ejusque vel minutissima fragmenta devotè adoramus: quid ni ergo, & spiritualem toto corde amplectamur, qua nobis Mundus juxtà Apostolum crucifixus; idest, despicabilis factus est: & nos mundo crucifixi; nempè, contemptibiles reddimur? Sicut ergo gaudemus illius, vel minimum

inveniſſe ſegmentum: ita etiam lætemur, cum Deus nobis magnam hujus portionem, grandem, ſcilicet, afflictionem largitur.

CAPUT XXVI.

De Martyrii cauſa in ſpecie; & primùm de Fide.

STatim in ipſo limine hujus Tractatus expoſui, quod Martyrem faciat, non pœna, ſed cauſa: cauſam verò dixi, eſſe Fidem, aliaſque virtutes; quatenus homo pro illarum defenſione tormenta, & necem fortiter patitur. Id autem in ſpirituali Epiſcopi agone regulariter accidit, pro religione, pro Eccleſia, pro juſtitia, & pro animarum ſalute; de quibus jam in genere dictum eſt: ideoque nunc de his tantummodo, & in ſpecie agam; & primùm de fide, quæ totius vitæ Chriſtianæ fundamentum eſt, *& ſperandarum ſubſtantia rerum*. Epiſcopi omnes ex officio ſunt ordinarii Judices, & Inquiſitores in cauſis ad religionem ſpectantibus; etiam ubi reperiuntur alii Judices delegati: adeoque contra Hæreticos, & quoſcumque de fide ſuſpectos; contra inſordeſcentes in excommunicatione ultra annum; contra blaſphemos, contra magos, incantatores, ſuperſtitioſos, polygamos, & ſimiles procedere debent; niſi à delegatis, ubi ſunt, præveniri contingat, juxtà id, quod ſacri Canones preſcribunt. Quæ verò, quantaque mala Epiſcopum obruant, cum hujuſmodi cauſas pertractant; & in hos reos inquirunt, non eſt facilè dictu. Indicavi quædam in aliis capitibus; ſed illa ſunt potiùs nulla, quam levia, eorum comparatione, quæ hic, tanquam in

in proprio loco, recenſenda forent. Quò gravius eſt crimen, eò difficiliùs probatur, & plectitur; cumque directè Divinæ Veritati, ac Majeſtati opponatur, Angeli apoſtatæ acriùs inſurgunt in Judicem, reoſque violentiùs defendunt. Ipſimet Rei, eorumque fautores, amici, & domeſtici, populum commovent, teſteſque ſeducunt; ut in Judicem ſcelus detorqueant, & livor appareat, quod ab eis fit ex zelo religionis, & debito muneris. Minas intentant, ut terreant; preces adhibent, ut flectant; dona proferunt, ut decipiant. Si potentes exiſtunt, aut potentum ſint viribus freti, corrumpunt teſtes, aut pellunt; & in cauſa infallibilis veritatis nulla veritas reperitur; doli, technæ, fallaciæ, amphibologiæ, hypocryſis, mendacia protegunt, & pro veritate colorant; ipſamque veritatem reddere nituntur mendacem.

Quæ mihi acciderint in cauſa intruſionis Thomæ de Campo, & ejus ſchiſmatis hæreticalis, fusè refero in meis expeditionibus ad Indos Orientales. Haud minora contigerunt in alia contra Presbyterum magum, bis è meis manibus, non ſinè Dæmonum auxilio, dilapſum; & in tertia contra Clericum primæ tonſuræ, impiè, ſacrilegè, ac nulliter ſacra myſteria celebrantem. Plures Auctores, qui de ſacra Inquiſitione ſcripſere, plurima narrant, ex quibus conſtare poteſt, quanto aſtu, quantaque rabie hujuſmodi Rei Judicem eludere, & inſectari nitantur, ope Dæmonum, & peſſimorum fautorum: ſæviùs autem, & liberiùs, ordinarium, quam delegatum: ſive ob graviorem metum Principis delegantis; ſive potiùs ob impotentem, deſpectumque hodie apud pleroſque gradum Epiſcopalem. Quidam Epiſcopus

mihi notus, gliſcentem nuper pernicioſiſſimam doctrinam ita compeſcuit, ut illius Auctor ſe abſcondere, calamumque, ac linguam cohibere coactus fuerit. Verùm, in Judicem tam pertinaciter poſtmodum, & inſolenter exarſit; ut contra eum, homo turbulentiſſimus, & mendaciſſimus, ex cunctis ordinibus perſecutionem exciverit; & adeo efferam, ut mitiorem is planè tuliſſet, ſi doctrinam illam ipſe vulgaſſet. Probarant omnes hujus vigilantiam, ac zelum; damnaviſſent verò ſocordiam: ſed in ejus pro tam pia cauſa martyrio, pleriſque clam miſerantibus, nemo palam auxilium præſtitit, aut ſolatium. Mirum ergo non eſt, ſi aliqui Præſules hujuſmodi cauſas effugiunt; eaſque delegatis relinquunt: ſed id fieri non poteſt, ubi tales Judices non exiſtunt; neque hoc laudandum in Epiſcopo, [a] *qui per Dei gratiam* (ut ait S. Proſper) *ſunt divinæ voluntatis Judices; Eccleſiarum Chriſti poſt Apoſtolos fundatores; Fidelis Populi Duces; veritatis Aſſertores; pravæ doctrinæ hoſtes.* Hæc eſt potiſſima cura Paſtorum, arcere hujuſmodi Lupos à Grege; Chriſti ovile in Fidei unitate ſervare intemeratum; nec ſinere, ſuæ ſponſæ cubile ulla impietate fœdari. Agat Epiſcopus, quæ, quantaque velit, ſi hoc unum prætermittat, inutilis; quinimò noxius erit, & valdè noxius: ubi enim Religio polluitur, omnia corrumpuntur. Indiviſibilis eſt vera fides, Veritati Divinæ tam firmiter innixa; ut vel tota ſubſiſtat, vel tota corruat. Si firma fuerit, fides erit; infirma fides eſſe non poteſt. Sinè macula exiſtit, vel unico inficitur nævo. *Quæ ſocietas lucis ad tenebras?* Immaculatæ Religionis cum impietate? Illius Propugnator, Cuſtos, & Defenſor Epiſcopus eſt: ſi nolit, non erit ſponſus Eccle-

[a] *lib. 2. c. 2. de vita cōtempl.*

ſiæ,

fiæ, ſed hoſtis. Indignus planè ſponſi nomine, qui ſponſæ pudicitiam, candoremque traducit. Ergo ex officio perſequi debet quoſcunque de fide, Religione, ac pietate ſuſpectos; in reoſque invehi, & inquirere. Si ſecus egerit, ipſemet inter reos computabitur, eaſque pœnas incurret, quas ęternus,tremenduſque Judex cap.2. & 3. Apocal. minatus fuit ſeptem Epiſcopis Aſiæ: verùm, ſi Dei zelum habuerit, ſponſamque vigilantiſſimè cuſtodierit, ea præmia conſequetur, quæ in dictis capitibus iiſdem Epiſcopis, ſi pro fide, & in fide ſtetiſſent, promiſſa fuere. Horum ſpe gaudere debet Epiſcopus, qui causâ fidei, & religionis patitur; nam longè glorioſiùs, atque ſublimiùs ſuos ipſa Martyres in æternitate coronat. Ut verum fatear, nunquam minus tormenta, quam in agone fidei, ſentiuntur; nam, & pro ea pati, & quod pro ea quis patitur, gloriæ pars eſt. Quoties apud Hæreticos, Schiſmaticos, Idololatras, alioſque Infideles, aliquid pro fide mihi contigit ſuſtinere; ipſa malorum cauſa dabat animos, & exultare cogebat. Ideo namque *ibant Apoſtoli gaudentes à conſpectu Concilii; quoniam digni habiti ſunt pro nomine Jeſu contumeliam pati*: & quod ad me attinet, quoties reminiſcor, ab hoſtibus fidei non plura, & longè majora fuiſſe perpeſſum, ex corde ſuſpiro; *& pudor eſt non licuiſſe mori*. Nemo tamen dicat, quod hæc militant, cum ab Infidelibus pro fide quis patitur: nam quo ad meritum, idem eſt, à malis Catholicis, vel ab Acatholicis pro Religione torqueri. Beatus Eleucadius Epiſcopus, non ab Infidelibus, ſed à fidelibus in ſua Diœceſi multa ſuſtinuit: & nihilominus S. Pet rus Damianus de illo ita loquitur. b *Neque verò credendum eſt, Beatum Eleucadium, dum* b *Ser.*

adhùc

adhuc viveret, martyrii caruisse laboribus, etsi non fuerit martyrio consumatus. Non contemnendum pertulit in ipsa Ecclesiæ pace martyrium: quandoquidem, & si non cum perfidè credentibus; cum perversè tamen viventibus infæderabilem probatur habuisse conflictum. Patiantur ergo libenter Episcopi, & causam intueantur, non hostes.

CAPUT XXVII.

De secunda causa martyrii; scilicet, de Ecclesia.

SUb Ecclesiæ nomine cuncta hìc intelliguntur, quæ pertinent ad Ecclesiam; nimirùm, immunitas, libertas, & jurisdictio Ecclesiastica, itemque illius bona, obventiones, & jura. Omnium horum Custos est Episcopus, ac etiam defensor; tam stricto jure, ut etiam teneatur de levi. Ejus nobilissima sponsa pretiosissimam hanc dotem affert, qua Ecclesiastici præsertim ditantur, & perfruuntur, veluti filii majores natu, & chariores, utpotè, Matris obsequio, & cultui prorsus addicti: alii verò quatenus ad Ecclesiam pertinent, vel confugiunt. Episcopus ergo, tanquam legitimus Ecclesiæ sponsus, ejus locupletissimam dotem custodire, ac defendere debet ex pręcepto naturali, & divino: cum id exigat ratio matrimonii, & hujus dignitas matrimonii. Propterea Sacri Canones, Sanctionesque Apostolicæ sub censuris, & comminatione districtæ ultionis ei mandant, ut cuncta, quæ diximus, acerrimè tueatur. Hinc est, quod inter præcipuas Episcopi laudes, hæc una refulgeat, Immunitatis Ecclesiasticæ imperterrita, & strenua defensio. Verùm, quæ mala, quæ bella, quæ tormenta, quas perse-

persecutiones, quale martyrium, in ea defensione Præsul non patitur? Omnis laica potestas in eum armatur, & quandoque inferiorum etiam Ecclesiasticorum perfidia. Episcopalis auctoritas vix obsistere potest; quinimò persæpè, nec vix; sed ei recurrendum est ad Apostolicæ sedis auxilium; quæ ut tot, tantisque hostibus occurrere valeat, Purpuratorum Patrum Congregationem hac de re, veluti Episcoporum Arcem, atque præsidium instituit. Sed ea est inimicorum nequitia, ut fallere nitatur, & quandoque fallat hujusmodi præsidii præstantissimum munimentum. Tunc Episcopus, omni prorsus auxilio, & ope humana destitutus, ab adversariis obruitur; & ea mala patitur, quæ ingemiscens Thomas Cantuariensis, Ecclesiasticæ Immunitatis Assertor acerrimus, & Martyr invictus, in suis literis ad Romanum Pontificem, & ad illius Curiæ Purpuratos audacter enarrat: Hostium potentia, & versutia ita causas invertunt, ut subdola narratione, corruptisque auro, promissis, aut metu, minisque Testibus; Episcopum, non Ecclesiæ defensorem, sed laicæ Jurisdictionis eversorem, aut suorum bonorum raptorem ostendant. Absens Episcopus, & quandoque pauper, nec rarò desertus, obreptitiis, aut subreptitiis litteris, & mandatis obstrictus, grande martyrium sustinet; videtque sponsam ab Adulteris impunè, quinimò, & cum laude expoliari, & pollui. Hoc pluries accidit, pro impudentia, pro petulantia, & pro aviditate Impiorum: ut aliquando contigit sacro Ecclesiæ defensori accerrimo præfato Thomæ Cantuariensi, ante martyrium hac de causa jam martyri: nec secus aliquando accidit aliis Episcopis, quos Laicorum, aut inferiorum Ecclesiasticorum rabies,

invidia,

invidia, odium, avaritia, vel ambitio, insectatur, torquet, exagitat.

Non tamen hic finis malorum: aliud superest, certè pessimum, Dæmone, fallaciarum patre, inventore. Id autem est; accusatio Episcopi, quod læsam ab aliis Immunitatem Ecclesiasticam minimè defendat; immò verò, quod ipsemet lædat. O' nunquam satura humanæ malitiæ rabies! Quem mordere tanquam indiscretum defensorem non potest; eum lacerat quasi desertorem; ac denique veluti propriæ sponsæ offensorem procacissimè devorat. Quidam Episcopus uno, eodemque tempore fuit Romæ denunciatus, quod publicis ædibus ecclesiasticam tribueret immunitatem; quam certè: ut pius locus, habebant: quod captum à Curia sæculari hominem Laicum, ut Clericum; qualis verè non erat, minimè repeteret: quod ipse Reum privilegiatum à loco immuni extraxisset. Ita simul idem Præsul (ut ipsemet inquiebat) albus erat & niger, & neque niger, nec albus: verùm ubique deformis, & reus, & quia defenderet, & quia non defenderet, & quia offenderet Ecclesiastica jura. In his autem quisque delator suum mendacium tot testibus, & probationibus callidissimè pinxerat, ut verum putari posset, si tam contraria verè coire potuissent. Gaudeat Episcopus pro dilectissima sponsa tam dirè vexari, & in diversitate pęnarum unam semper Ecclesiæ causam intueatur; pro qua pati, & mori, martyrium est, & ipsum utique gloriosissimum. Non datur modò inter Orthodoxos pro fide torqueri; sed datur passim pro Ecclesia; nec minus rabidè, quam inter hæterodoxos pro fide. Utrobique conflatur perennis corona martyrii. Eâ redimitus inter cæteros clarè

præ-

præfulget Gregorius Septimus, immortalis memoriæ Pontifex, qui tot contra se habuit Tyrannos, quot ipse pro Ecclesia imperterritus, censuris, comminationibus; repræhensionibus, depositionibus irritavit; nimirùm, utrumque Imperatorem, Occidentis, & Orientis; Reges, Galliarum, Poloniæ, ac Ungariæ; Normandorum Principem, Apuliæ Ducem; Quintium Urbis Præfectum; Ugonem Cardinalem Sancti Clementis: Archiepiscopos, & Episcopos, Ravennatem, Mediolanensem; Bremensem, Straburgensem, Spirensem, Bambergensem, Papiensem; Taurinensem, Cremonensem, plurimosque alios, præsertim Gallos: & quanquam Româ pulsus, & innumerabiles, gravesque calamitates perpessus; invincibili tamen animo Salerni plusquam martyr occubuit, dicens: *justitiam dilexi, & odi iniquitatem; propterea morior in exilio.* Eja exilium omni Patria nobilius! Stat ibi ex ære tanti Pontificis simulacrum, quo ipse firmius pectus habuit, & heroica virtute Princeps, Laicos, usurpatum ab Ecclesia jus, beneficia conferendi, Ecclesiæ reddere compulit; & Regnantem olim in toto ferè Orbe fœdissimam Simoniam, de Throno dejecit. Hæc nobis præstitit ejus martyrium in terris; sed ei multò plura, & gloriosiora, æternumque mansura præbet in Cœlis, ubi tot habet sui Triumphi consortes, quot hìc habuit pro Ecclesia Commilitones; Ambrosios, Chrisostomos, Carolos, & mille alios; inter quos recenseri quilibet Episcopus ambiat, & gaudeat!

CAPUT XXVIII.

De tertia causa Martyrii: nimirum de Justitia.

IN omnibus causis spiritualibus, & Ecclesiasticis, vel ad Clerum spectantibus est Judex Episcopus, qui unicuique jus suum tribuere debet; & in civilibus, & criminalibus justitiam administrare: hoc autem quàm difficile, quàm arduum sit, experientia docet; præsertim quando requiritur tela judicii: tunc enim judicare oportet secundum allegata, & probata: verùm allegationes ipsæ, ac probationes diutissimè protrahuntur, versutissimè implicantur, fallacissimè proponuntur. Tandem aliquando causæ absolvuntur in ipsa curia, & postquam à Judice fuerit prolata sententia, nil restat, nisi executio: hęc autem ab iis Ministris dependet, quorum fides venalis est, maximèque suspecta. Plures menses, & annos; multum auri, & argenti; summam animi applicationem Partes in litibus insumpserunt; Judex, quam potuit, æquam sententiam protulit, relaxavitque mandatum: ast infidi satellites, aut metu, aut avaritiâ corrupti, executionem, vel diù retardant, vel subdolè prætermittunt. Idem in criminalibus accidit, & utrobique, Partium, Fisci, Judicis anxiosissima studia falluntur: ita ut perquàm verum appareat, justitiæ complementum ab vilissimorum hominum fide, vel perfidia pendere. Hinc omnium Curialium, ipsorum Clientum, Actuariorum, totiusque Populi clamor in Judicem, ac si ad eum pertineret lictoris officium. Permutat ipse satellites, monet, repræhendit, minas inten-

tat,

tat, obteſtatur, & urget: verùm, quos optimos putat, peſsimos experitur. Deperit exinde juſtitia; debita non ſolvuntur; delicta impunè graſſantur, & his malis Epiſcopi animus dirè torquetur.

Abſint nihilominus à Sacro Tribunali verſutia, fallaciæ, perfidia, temporis jactura, metus, & avaritia; non tamen deerunt querelæ in Epiſcopum, quem in judicio, Rei, victique in lite, aut iniquum, aut indoctum evulgant. Quiſque in aliena domo juſtitiam amat; odit in propria: & cum in jurgiis, ac litibus alterum oporteat damnare, alterumque abſolvere; qui ſuccubuit, hoſtis efficitur cum tota familia. Cum autem Epiſcopus, ut vindex, delicta punit; id acriùs, ſæviùſque patitur: furor enim nocentium Innocentis Judicis famam dilacerat, impiamque ſumit de pia ultione vindictam.

Hoc præ cæteris Judicibus habent Epiſcopi, quod præmia, dignitates, & beneficia plurima conferunt; ſed amplior poteſtas, & honor, longè ampliorem faciunt martyrii cauſam, & pœnarum. Quoties vacat, & ab Epiſcopo largiendum eſt beneficium, toties confluunt, qui petant, qui ambiant, qui extorquere præſumant: verùm; cum uni tantum concedi poſſit, ac tribuatur; cæteri competitores in Collatorem armantur, & invidiâ Proviſi, & excluſionis propriæ dolore; quodque prælecto beneficium extitit, fit reliquis omnibus veneficium. Favor Magnatum, amicorum, conſanguineorum, cum perit irritus, eos irrìtat, & urget in Præſulem; qui unius lucro multos amittit; neque tamen ipſum lucrum ipſius eſt, ſed Proviſi. En igitur; quot pro una juſtitia pœnas, quot martyria patitur Præſul, alioquin rectiſ-

ſimus, mitis, atque juſtiſſimus! Dnm lites dirimit, litibus irretitur; dum reos condemnat, ipſe damnatur; dum confert beneficia, patitur maleficia: ubique martyr, & ſemper. Maneat tamen in Epiſcopo *conſtans, & perpetua voluntas jus ſuum unicuique tribuendi* (ſinè
à lib 2 decad. 3. qua juſtitia eſſe non poteſt) [a] *jus enim* (ut ait Livius) *laborat, non extinguitur*; &, ut habetur in hiſtoria Saxonica; *juſtitia vincit odium*. Quæ verò bona ex eo naſcuntur, Epiſcopum ſolari debent; cum verè maxima ſint, & Reipublicæ, non modò utilia, ſed neceſſaria, ipſique Deo chariſſima, & Judici veluti certiſsima pi-
b 5.moral. gnora ſalutis æternæ; ait enim Gregorius. [b] *Juſtitia Regis* (ita & Epiſcopi) *pax eſt populorum, tutamen patriæ, immunitas plebis, temperies aeris, ſerenitas maris, terræ fæcunditas, ſolatium pauperum, cura languorum, gaudium hominum, hæreditas filiorum, ſibimetipſi ſpes futuræ beatitudinis*. Hinc eſt, quod Paulus formans in Timotheo perfectiſsimam Epiſcopi ideam, bis ei præcepit Apoſtolico imperio; *ſectare juſtitiam*; ut habetur in utraque ad illum epiſtola. Poſtremò ex Divino Veritatis oraculo, impenſiſsimè gaudere debent Epiſcopi, qui pro tanta virtute martyrium ſuſtinent; cum ab eo declarentur *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt juſtitiam*; itemque, *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam*. Sublimiſsimum profectò juſtitiæ meritum, cujus Aſſeclas efficit duplex beatitudo felices!

CA-

CAPUT XXIV.

De quarta martyrii causa; hoc est, de salute animarum.

B*Onus Pastor animam suam dat pro ovibus suis*; ne devorentur à lupis, aut aliter pereant; sed potiùs *vitam habeant, & abundantiùs habeant*. Id fecit, & docuit Magister Pastorum Christus; & hoc principalitèr exigit ab Episcopo, qui ab eo constitutus est Pastor super gregem suum, ut illum pascat, & salvet. Nil autem eum magis perdit, quam scandalum. Quò unum pecus abit, alia sequuntur; & quò se proripit illud, hæc quoque ruunt. Scandalum est *dictum, vel factum minus rectum, præbens aliis occasionem ruinæ spiritualis*. Ab hac ruina tenetur Episcopus eripere suas oves; nec aliter potest, quam resecando scandala, & exempla perniciosa. Id autem difficillimum est, & plurium, maximarumque pœnarum causa, & origo: nam sæpè, tam dantes scandalum, quàm capientes, in eum armantur, qui scandalum tollere curat. Velut phrænetici, amant perire; imò, & conantur; eorumque rabies in medicum vertitur. Hoc autem clarè patet in publicis peccatoribus, quos non pudet, aut usus, aut infamia peccati. Triplex in hoc opere tormentum patitur Episcopus; zelum, nempè, salutis ovium; ipsarum odium in se; & earumdem perniciem in alias oves. Zelus torquet viscera Pastoris, ac Patris; qui, vel proprio sanguine; ac etiam interitu, vellet oves,& filios à malo retrahere. Horum odium eum persequitur, à quo retrahi nolunt à malo,

malo, quod impensè depereunt. Eorumdem pernicies in alios, qua eos pertrahunt in ruinam, ipsum quoque dirissimè exulcerat. Itaque ab uno scandalo triplex martyrium sustinet: sed tamen una est causa martyrii; salus animarum. Concubinatus, lascivæ amicitiæ, impura commercia; & hæc omnia palàm, & impudentissimè exercita, pessimo exemplo cunctos rapiunt in præceps; præsertim, quando peccatur impunè. Infelices pueros, atque puellas, quorum innocentiam majorum vitia corrumpunt! Vident peccata, & ignorant; & dum imitantur, addiscunt; & vitia exercent nondum vitiosi; pravosque habitus induunt, antequam noverint pravitatem. Quidni ergo grandævi mala operentur, quando eos versi habitus in naturam naturaliter malos efficiunt? *Plus patitur Christus ab eo, qui scandalum præbet, quam olim à crucifixoribus suis*; cum hi saluti animarum, vel inviti, profuerint; ille verò plurimum noceat. *Non tibi videtur* (ait D. Bernardus) *graviorem ab eo Christus sustinere persecutionem, qui suggestione maligna, exemplo pernicioso, scandali occasione ab eo pervertit animas, quas redemit; quam à Judeo; qui sanguinem suum fudit?* Earumdem animarum salutem Episcopus totis nisibus curat; sed rarò assequitur; obsistentibus moribus, aliorum exemplo corruptis. Senescit in adultis perversitas; adolescit in pueris; & vix ulla reperitur ætas, quæ rectè gradiatur. Hos abripit sensualitas, alios avaritia, plerosque odium; & paucissimi sunt, quos à salutis semita fallax malitia non abducat: dumque illos reducere conatur Episcopus, fallit opus eorum astus, & pervicacia, peritque labor infructuosus. Quoties ipse nequissimos homines, fœminasque repræhendi; ut aliquando tan-

dem

dem resipiscerent à peccatis; qui ausi sunt respondere, *se de salute nihil curare*; *nec magnum fore*, *si & ipsi tot inter millia damnatorum recenseantur*? Hoc sentiunt pellices; hoc usurarii; hoc blasphæmi; hoc mimi; hoc plagiarii, & lascivi omnes; hoc ipsum fures, grassatores, sicarii, malefici, & qui odio habent proximum suum. Pertinax eorum nequitia torquet Episcopum; ita cæterorum superbia, luxus, & vanitas; ejusque torturæ causa est una salus, quam ipsi despiciunt. Ideò Concionatores admonet; Confessarios hortatur; Parochos urget: ut peccatores convertant. Ideò ipsemet irrequietus agit, quod potest; ut eorum animas ab æterno eripiat interitu, & in viam salutis, & in portum perennis felicitatis perducat. Ipsemet, Parochus, Confessarius, Concionator efficitur; Synodos congregat; Visitationes peragit; edicta promulgat; nequiores compescit, & cuncta perlustrat. Hæc omnia prçstabat Chrysostomus; & licet ex tot laboribus fructus colligeret; non tamenquiescebat: cumque illi diceretur (ut jam alibi retuli, & hìc rursus referre placet,) *plurimos esse*, *qui ejus operâ salvarentur*; ita respondit: [a] *nemo mihi dicat*; *quod multi correcti sunt*: *hoc non est*, *quod quæritur*; *sed ut omnes*: *quo usque hoc non videro*, *respirare non possum*. Quale martyrium, quod intercipiebat anhelitum! Non multorum, sed omnium salus poterat solari Chrysostomum: & poterit non tristari Episcopus de plurimorum interitu? Teste D. Gregorio, [b] *quot regendis subditis præest*, *tot* (*ut ita dicam*) *animas solus habet*. Quid mirum ergo, si tam anxius, tam sollicitus est de uniuscujusque animæ salute, cum ipse in uno corpore tot animas habeat, quot in tota Diœcesi subditos regit?

a ho. 13 ad Populum

b lib. 4. moral. c. 3.

Quid-

Quidquid pro sua paratus est pati; hoc sustinet pro aliena sibi commissa, ne pereat: siquidem pro utrisque districto Judici rationem reddere debet. Væ, væ miserrimo Præsuli, si vel una ovis suâ culpâ damnetur! Minùs foret, concreditum amisisse thesaurum, quàm perdidisse ovem, pretio Divini sanguinis emptam. Fateor, hæc ipsa consideratio cor meum sævissimè torquet, nec unquam quiescere sinit: multùm timeo de mea salute ob cujusque meæ ovis interitum. Ast, non ideo despero, sciens, à me exigi curationem, non curam. Præceperat Abrahæ Deus, filium sibi immolare; quod tamen fieri subindè inhibuit, suscipiens affectum, opus repudians: ubi S. Prosper sic ait: *Ita Deus, aliqua fieri noluit, quæ homines, Deo volente, facere voluerunt*. Hinc magnum oritur in hujusmodi martyrio solatium: duo namque in eo reperiuntur; & studium salvandi oves; & harum salus: primum à nobis omninò dependet; non ità secundum: duo itidem primo respondent, & studii effectus, & præmium: ille non semper sequitur; hoc nunquam fallit: siquidem benignissimus Deus opus attendit, non operis fructum; quinimò augetur quandoque operis meritum, si fructu careat; privatur enim operans eo gaudio, quod ex fructibus oritur; ejusque loco datur mercedis augmentum. Resideant duo nostræ fidei Operarii apud Indos, eosque infideles: alter diù, multùmque laboret; ut eos ad Ecclesiæ gremium reducat; oret, jejunet, doceat, concionetur, exemplis, & verbo; vix tamen paucos intra decennium, ob eorum duritiem, convertat. Alius verò plurimos, & nullo studio quæsitos; sed spontè ad se venientes, & de Religione instrui postulantes, intra quinquennium baptizet: cujus merita

ta excellunt ? cui majora præmia dabuntur ? Utique primo, qui plus laboravit, minusque collegit. Gloriari poterit secundus de uberiori messe; non quidem arte propriâ, studioque paratâ; sed ex fæcundiori agro productâ: & ejus gloriatio minuet præmium; quòd augebit in alio, & improbus labor, & mæror sterilitatis. Gaudeat ergo Episcopus, non tam de fructu, quam de operis merito. Suarum ovium salutem omni prorsus conatu perquirat; &, si assequatur, lætetur quidem ob illarum adeptam felicitatem; sed minimè tristetur, si parum, aut nihil profecerit; quoniam promittitur merces labori, non fructui. Egregius Medicus non perdit lucrum ex morte infirmorum, qui, cum sanari potuissent ipsi obtemperando, suâ contumaciâ periere. Magnum profectò solatium est, intentionem nostram cum cernere, *cui omnia nuda, & aperta sunt*: qui æstimat virtutem ex animo, non ex effectu. Apud eum, tam in bono; quàm in malo, voluisse, sat est. Vota nostra intuetur Deus; à quo semper fęnus, & usura percipitur. Potissimum lucrum erit, ei ex desiderio placuisse. Impensè gaudeamus; nam [c] *ante oculos agimus Judicis cuncta cernentis*. [c] *Boet. lib. 5. de Consol. Phil.*

CAPUT XXX.

De Tyrannis in Episcoporum Martyrio; & primùm, de Dæmone.

SÆpè quidem in toto hujus operis decursu actum est; non solùm de pœnis Episcoporum, & de caussa pęnarum; sed etiam de illarum Auctoribus, ac Ministris: verùm incidenter, & ex ipsa rerum connexione.

Mox autem ex instituto de ipsis Tyrannis tractabimus; quatenus hinc quoque præbeamus nostro Martyrio grande solatium. Hi verò sunt, Dæmonum odium, hominum malitia, & propria Synderesis, scrupulis, timoribus, anxietatibus agitata: ab his enim omnia penè mala procedunt, quæ in animarum gubernio Episcopi patiuntur. Ut autem exordiamur à primo; certum est, Dæmonem nullum magis odisse, quam Præsules, quorum studio fides propagatur, Deus rectè colitur, hominesque salvantur. Mundi hujus est ipse Princeps, non hæreditarius, nec electivus, nec jure belli præfectus; sed utique astu, vi, dolo, potentiâ intrusus; adeoque imperium malè quæsitum, violenter exercet. Dei Adversarius,& hostis, ejus Regnum pertinacissimè invadit; & quot potest de illius subditis ad se allicere, sibi subjicere, aut perdere, nequissimè fallit. Cum ergo nullum sui Principatus titulum habeat; cum alterius dominationem usurpet; cum jus in minimè subjectos exerceat; cum præterea in eorumdem perniciem, & ruinam totus incumbat: ferus, impiusque Tyrannus existit. Idcircò à D. Chrysostomo. [a] *Tirannus crudelis* asseritur. Suam verò Tyrannidem in Episcopum trifariàm exercet, vetustissimus Geryon; ex rabie in Deum, & Angelos ejus; ex vindicta damnorum, quæ patitur; & ex invidia gloriæ alienæ. Inflexibilis voluntas Dæmonum perseverat in malo, cui ab initio firmiter adhæsit: ideoque pertinax, & rebellis, in Dei odium immutabiliter ardet, ejusque pugiles implacabilis insectatur. Bellum, quod in Cœlo gessere cum Angelis, feri, fœdique Apostatæ, in terris cum Episcopis habent; qui meritò in Apocalypsi, [b] *Angeli* nuncupantur: sunt enim præcipui ministri

[a] hom. 14. sup. Matth.

[b] cap. 2 & 3.

ſtri Numinis in Eccleſia, illius Regnum, & Cœlum, ipſiuſque Militiæ, ut ſupremi Duces vigilantiſſimè præſunt. Magnum ergo prælium, quod factum eſt ſemel in Cœlo à Dracone cum Michaele, & Angelis ejus; ab eodem quotidiè fit in terris cum ſummo Præſule, minoribuſque Hyerarchis; contra quos tantò acriùs furit, quantò digniores agnoſcit. Horret in eis characterem Epiſcopalem, quo Dei vices hìc gerunt, ipſumque Deum inter homines repræſentant; & odium, quod in Omnipotentis Majeſtatem exercere minimè poteſt, in ejus Vicariorum infirmitatem exercet. Dæmonis ergo tyrannis duplici rabie Præſulem torquet; qua ſcilicet, Deum, & qua ejus Angelos in ipſo execratur, & dirè perſequitur. Epiſcoporum charitas, zelus, & vigilantia ingentem prædam à Dæmonibus aufert: animas, videlicet, quas ipſi decepère, ac ſub impietatis vexillo, aliquandò militantes habuerunt. Eos propterea vehemens urit, urgetque deſiderium vindictæ, omnemque lapidem movent, ut rurſus, & pluries, & millies ablatam prædam eripiant, & cum præda Paſtores. Ideò in eos, & propriis viribus, & alienis inſurgunt; ut vexent, exagitent, perdant. Poſtremò, invidiæ livore acriùs incenſi, eoſdem furioſiùs inſectantur; & quandoque præter naturam iis malis, hiſque graviſſimis Epiſcopos complent, quæ naturales cauſas habere non poſſunt: quare, myſtici Martyres ea nec intelligere, neque repellere queunt; ſed pati coguntur, ignari auctorum, & qua veniant, & qua de cauſa. Quod olim in Job evomuere iræ, vindictæ, invidiæ virus; hoc idem in Epiſcopum ſępiùs effundunt, &, ſi non corpus, animum tamen, amiſſionibus, afflictionibus, ulceribus, innu-

merisque malis, & atrocibus implent: ita ut introrsùs nulla sit in eo sanitas, nulla quies, nullum solatium; permittente Deo in martyribus suis hæc fieri, ad præclarissimum virtutis meritum augendum; ad illustriorem victoriam de tot, tantisque hostibus reportandam; ad sublimiorem triumphum in Cœlis agendum. Lætentur Episcopi ab hujusmodi Tyrannis torqueri; quorum immanitas, ut nexuit patientissimo Job coronas; ita præparat eorum fortitudini palmas. Quàm difficile, quàm arduum est, pugnare cum Dæmone; tam gloriosum erit, vicisse; *Ille autem* loquens de Job, Chrysostomus ait: [c] *urbe extorris; & domo, & facultatibus simul, affinibusque nudatus, sterquilinium pro domo, pro stramentis humum, fimum pro indumentis habebat, sed in his omnibus, non solùm nihil læditur Job; verùm, & clarior per hæc, ac magnificentior redditur: cum enim cunctis eum facultatibus, atque ipsius sanitatis corporis spoliasset; immensas ei virtutum divitias per patientiam congregavit: neque enim tantæ fiduciæ apud Deum erat Job antèquam in hoc agone desudaret. Quod si iste, qui tanta perpessus est; & ab eo perpessus, qui omnes homines nequitiâ, & crudelitate præcellit, lædi in animi virtute non potuit: quis erit jam; cujus videatur digna excusatio, cum dicit: ille me læsit, ille offendit, ille novit, ille impedivit? Si enim Diabolus, qui omni malitiâ repletus, commotis universis viribus suis, atque omnibus telis, armisque, vel in domum justi, vel in corpus ejus directis; lædere omninò non potuit: sed magis eum (ut dixi) gloriosum, & spectabilem reddidit: quomodo dignè quis ullum hominem culpabit, quod ab eo lædi quiverit, aut noceri?* Ex his inferre potest Episcopus, planè gloriosissimum esse à Dæmo-

c to. 5. hom. 9.

Dæmonibus tyrannidem pati, & non lædi; neminemque ab eo pertimeſcendum, qui nec timet diabolum, nec vincitur à Diabolo; ſed ipſum potiùs, & terret, & vincit. Neceſſaria pugna eſt, ubi nulla ſocietas, amicitia nulla eſſe poteſt; vel ſi fortè interceſſerit, perniciofior ſit ipſa pugna: etenim amari à Dæmonibus, & cum eis fędus iniſſe, nequiſſimorum hominum eſt; non verò Sanctorum Præſulum; qui eoſdem ſuarum ovium teterrimos Lupos, aut veriùs, animarum ſibi commiſſarum implacabiles, crudeliſſimos hoſtes agnoſcunt. Hi autem blandiendo nocent; feriendo proſunt: parcendo necant; interimendo ſanant: & cum tyrannidem immaniùs exercent, quos faciunt martyres, eos meritis, coronis, palmis, perennibuſque cumulant gloriæ ſplendoribus.

CAPUT XXXI.

De Hominibus malis.

OMne ferè martyrium Epiſcopus ab hominibus patitur; ut ſatis clarè in toto hoc opere monſtratum eſt. Verùm hìc longè clariùs apparebit: ſi enim omne hominum genus dividamus in Claſſes, harum ſingulas in Epiſcopum armatas videbimus. Plebs, recti, verique neſcia, regi vix patitur; & in Rectorem etiam ſinè cauſa bacchatur. Rationis expers, amat, odit, laudat, infamat, defendit, perſequitur; non utique ut debet; ſed tantùm, ut lubet: cumque, ut plurimùm vitioſa exiſtat, & libera; eum acriùs inſectatur, à quo corripi, & cohiberi formidat. Hinc tumultus, hinc

mala

mala fama, hinc blasphemiæ in Episcopum; & tantò vehementiùs, quantò ad hæc ab Episcopi perduellibus plebs rudis, & effrænis acriùs impellitur.

Cives honestiores, qui, vel mercaturam, vel artes exercent, quas liberales appellant; si à Præsule de usura, de perjurio, de dolo, de iniquitate commoneantur; eum rabidè persequuntur: in officinis, in apothecis ipsius nomen proscindunt; &, si per ocium liceat, eorum negocium est, cum adventantibus de illo diutiùs obloqui; fitque censura Pastoris pecudum quies.

Nobiles, naturâ delicatiores, nisi humanissimè pertractentur, etiam cum nequissimi existunt; pro læsa eorum nobilitate dirè krociunt: ac si generis decus, non à crimine; sed à commonitione lædatur. Universa familia in unius objurgati vindictam accenditur; & quasi cunctos offenderit, singulorum odium Præsul repatitur. Verùm, Magnates, & Principes, nedum eum æquare contendunt; sed etiam antecellere: unde fit, ut neque ab eo corripi sinant: & si corripi necesse habeant, id velint, non reverenter, non obsequiosè tantum; sed utique cum ipsorum laude præstari: quod, nimirum, inspectis legibus humanæ rationis, optimè quidem egerint; sed non ita juxta Regulas Evangelii: cumque illos fortiùs moveant, quæ sentiunt, quam ea, quæ credunt; neque dolent, neque malè acta execrantur, mox acturi pejora, si commodum fuerit. Monueram aliquando ipse Principem præpotentem, eumque de læsa indirectè Ecclesiastica libertate, quam humanissimè repræhenderam; & is quidam pacato animo, sed minimè bono, respondit: *non posse probari, pœnam, à se laicis sui juris illatam, hac intentione processisse, ut Ecclesiam vel indi-*

indirectè gravaret: cumque ipse subtexerem, *probationem intentionis ad hoc tantùm requiri*; *ut ad anathematis publicationem procedi possit*; *non autem ad hoc*, *ut anathema intrinsecùs incurratur*: ille addit: *nos Principes*, *cedulones*, *non excomunicationem timemus*; *namquo ad occultas censuras à solo Deo conveniri nil formidamus*, *cum quo facilè convenimus*. Fortè putabat, parum interesse inter Principem Deum, & Principes homines; & ex nominis analogia oriri strictissimæ cognationis fiduciam; nesciens, *Potentes potenter tormenta passuros*, *tyrannosque Deo ridiculos esse*; nempè, vilissimos, & contemptibiles Mimos. Non ita certè respondit quidam Prorex Indiarum, qui à me confidentissimè admonitus, de à se gravata Ecclesiastica immunitate; modestissimè suis rationibus (ut erat etiam in sacris literis valdè versatus) quæ præstiterat, excusavit; deindè rescidit; & me perbenignè amplexatus, meamque suâ dexterâ stringens: *utinam* (inquit) *omnes amici hac me libertate admonerent*!

Sæviùs furit quicunque Magistratus, si ab Episcopo de re aliqua, vel blandissimè commoneatur; sibi putans de jurisdictione multùm adimi, cum eam in se viderit exerceri. Præcelli vix sustinet in dignitate; in auctoritate prorsus non sustinet. Hinc jurium bella, privilegiorum, consuetudinum. Tota Civitas, omnis Populus, minores, majoresque armantur pro defensione Reipublicæ in Magistratu despectæ (ut vulgus appræhendit) fitque seditio maxima, in re minimè præjudiciali; sed potiùs utili, & æquâ; imò, & necessaria. Quidam hæreticus Anglus mecum Romani Pontificis celsitudinem mirificè laudabat, & ad Cœlum usque

fere-

ſciebat, *inſulſiſſimè decipi* (aſſerens) *Acatholicos omnes, qui hoc audent negare*. Mirabar ego, hæc ab hæretico de Summo Pontifice tam audacter proferri! *&, ergo fatendum eſt* (ipſe reſpondi) *Romanum Pontificem totius Eccleſiæ viſibilis, ac militantis Caput, & utique ſupremum exiſtere? Ita eſt, negari non poteſt* (ille ſubjunxit) *ſed dignitatis præeminentiâ dumtaxat: non auctoritate aliquâ, vel poteſtate!* Quot mundi Potentes hæc ſentiunt de Pontifice, quot Magiſtratus de Pręſule! Verentur quidem eadem ore proferre; ſed minimè verentur opere profiteri; & quos dicunt, ſe venerari, ut ſuperiores; ut inferiores proculcant, unà ſimul colentes, & colaphizantes.

Quid referam de mulieribus, & infimis, & mediis? Quid (inquam) de ſupremis? Omnes amari volunt, laudari, & blandiſſimè pertractari: ſi ſecus fiat, implacabiliter iraſcuntur: quinimò, nec læſæ, adverſantur; & plerumque, non tàm propriâ, quàm alienâ malitiâ: ſeù veriùs, & propriâ, & alienâ. Quam procaciter viliſſima pellex auſa fuerit de ſtupro Athanaſium incuſare, notiſſimum eſt: idem, & aliæ tentarunt contra Euſtatium Patriarcham Antiochenum: Brictium Turonenſem; Ethærium Lexovienſem; multoſque alios ſanctiſſimos Præſules. Non deſunt noſtris temporibus Eudoxiæ, ac Theodoræ, Chryſoſtomo, & Sylverio infenſiſſimæ; ſi non potentiâ; ſaltèm odio, & feritate pares; aut fortè majores.

Ne in re tam clarâ prolixior exiſtam, breviter cuncta complectar. Quidquid, per crudeliſſimos omnis generis cruciatus, paſsi ſunt Martyres; id totum patiuntur ab hominibus Præſules; & ad pœnarum cumulum, homi-

mi-

mines ipsi Præsulum tormenta efficiuntur; nimirum, feræ, metalla, ferrum, ignes, naufragia, & cætera mala; tantòque acriora, quantò efferatiùs acuit malitia cordis virus, viresque nocendi. Quidquid passus est Christus, Episcoporum Princeps, & Pastor; à malis hominibus passus est:& qui cęteras creaturas obsequentissimas habuit, eosdem perfidos hostes, & adversarios palàm sustinuit. Gaudeant Episcopi, sub tanto humanæ feritatis martyre, ab hominibus martyrium pati. Non reformident, ejus patientiam, & fortitudinem imitari, qui eo tempore nasci voluit, quo posset habere tortores nequissimos, & efferatissimos hominum; Scribas, Pharisæos, Annam, Caipham, Pilatum, Herodem, & Judam. In Dei potentia confisus dicat audacter cum Davide; quondam Pastore, quilibet Pastor: [a] *Dominus illuminatio mea, & salus mea; quem timebo? Dominus Protector vitæ meæ; à quo trepidabo? Dum appropiant super me nocentes, ut edant carnes meas; qui tribulant me inimici mei; ipsi infirmati sunt, & ceciderunt. Si consistant adversùs me Castra; non timebit cor meum. Si exurgat adversùs me Prælium; in hoc ego sperabo,* [b] *In Deo speravi, non timebo quid faciat mihi homo.*

Ps. 26.

Ps. 55.

Quod supra innuimus de Christo Domino, Chrysostomus conglobatim affert, cum exul ipse in epistola ad Cyriacum Episcopum exulem ait. *Qui terram continet, factus est nobis figura, ne deficeremus in tentationibus. Recordare passionum Domini Salvatoris, & injuriarum, quas tulit pro nobis. Alii eum Samaritanum vocabant; alii Dæmoniacum, & voracem, & Pseudo-Prophetam: dicebant enim: ecce homo vorax, & vini potator: & in principe Dæmoniorum Dæmonia ejicit. Quid autem, quod*

duxerunt eum, ut præcipitarent? Quid, quod in faciem ejus conspuerunt, & alapas ei dederunt? Quid, quod aceto, & felle potarunt, & arundine caput ejus percusserunt? Quid, quod eum circumdederunt clamyde, & spinis coronaverunt; & supplicando, omnique alio genere, deriserunt, circumdederuntque eum sanguinarii illi canes? quid, quod ad passionem ductus, & nudatus; dereliqueruntque eum omnes Discipuli? Et unus quidem negavit; alius etiam prodidit; alii autem omnes fugam inierunt; & solus ipse stetit nudus in medio turbarum illarum, quas festus dies coegerat: & quod, ut Malefactorem eum crucifixerunt; & quod sepulturâ carens, pendebat, neque deponebant ipsum à cruce; donec precibus à quodam impetratus, qui eum sepeliret: & quod sepulturam non habuit, conviciaque mala adversus eum pronunciabant, & inter cætera, quod Discipuli ipsum furati essent, & quod non resurrexisset? Hæc ipse Chrysostomus de Christo Domino, ad solatium Episcopi ab hominibus pessimè lacessiti; ut in effrenata contra suum caput hominum rabie, longè minora disceret ab hominibus pati. Plura in dicta epistola super hoc argumento summariè differit; sed longè meliùs, & prolixiùs in hom.9. cujus titulus est; *quod nemo læditur, nisi à semetipso*; ubi clarè demonstrat, *quod illi soli læduntur, qui lædunt; & quod nulli alii nocet noxa, quam cæteris inferunt; nisi ipsis, qui inferunt*. Ad rem facit etiam alia ejusdem Chrysostomi epistola ad Episcopos, & Presbyteros ob pietatem in carcere inclusos; ubi hoc profert aureum epiphonema: *tanta res est virtus; ut illam etiam impugnantes, admirentur. Tanta res est malitia; ut etiam ii, qui eam operantur, condemnent*. Probè agat Episcopus; patienter se gerat; &

quos

quos persecutores habet, habebit aliquando Panegyristas, & propriæ tandem osores perfidiæ. Ita Læno, vel invitus, laudat Virginis à se tentatæ constantiam; & Pater impius, dum filios de impietate coarguit, se ipsum condemnat. Præfatas Chrysostomi Epistolas, & homiliam in Tomo quinto, & ultimo, legat Episcopus, qui ab hominibus iniquè vexatur; & magnum ex eis hauriet in sua vexatione solatium. Postremò, reminiscatur Divini Oraculi, & impensè lætetur: [c] *Stuppa collecta Synagoga Peccantium*. Aliud quoque, nec fortè minus, inveniet in unaquaque hominum classe; cum plurimi reperiantur in plebe, in civibus, in nobilibus, in magnatibus, in mulieribus etiam primariis, in magistratibus, & Prioribus, qui obsequio, æstimatione, reverentia, pietate, devotione, ope, affectu Episcopos colant, & juvent. Nec inter eos desunt, qui velint unà pati, simulque mori; si opus esset: ut contigit in Ambrosii, Chrysostomi, Caroli, aliorumque Sanctorum Præsulum immani præssura. Quam ingens lætitiæ torrens Episcopi cor inundat, cum in omni ordine tales reperit!

c Eccl. c. 21.

CAPUT XXXII.

De propria Synderesi.

HActenus de malis, quæ Præsulem extrinsecùs torquent, pro quibus solatium intrinsecùs habet. Hic verò, & in sequenti capite, de illis agam, quæ solùm animam intus exulcerant, diriùsque transverberant; in quibus ullam consolationem vix reperit; cum

animus ipſe, qui exhibebat in exteriori martyrio ſolamen, ſemet in ſuis malis ſolari debeat, & infirmus Medicus propriæ infirmitati mederi. Torquetur ſcrupulis, dubiis, timoribus, anxietatibus; & cum utraque tormenta, & extima, & intima ſimul ipſum dilacerant, cogitur exclamare cum Paulo; *foris pugnæ, intus timores; quis me liberabit de corpore mortis hujus*? Et (ut alibi ait) *ſupra modum gravati ſumus, ſupra virtutem, ità ut tædeat nos etiam vivere*.

In Animarum gubernio Epiſcopus angitur ſcrupulis, ne quid agat, quod noceat; ne quid prætermittat, quod poſſet opportunè prodeſſe. Operatur, ut peccata eradicet; & ipſa uberiùs pullulant. Omittit agere, ne fortè exaſperata ulcera recrudeſcant; & ipſa callum obducunt; aut incurabilia redduntur. Errat ovis; & quà perquirat, ignorat. Rapitur; & de ſua incuria ſuſpicatur. Cadit; & num ſuâ culpâ, perpendit. Perit; & quod perierit ſe fortè reo, ingemiſcit. Ah! Quoties in bivio poſitus, neſcit quà pergat! Prævidet ſecutura mala, ſi agat; ſi agere omittat, non minora ominatur. Quò ſe vertet utrinque obſitus graviter peccandi periculo? In his anguſtiis ipſe quoque aliquandò deprehenſus, Deum orans, non exorabam; Cælites deprecans, non exaudiebar; Confeſſarios conſulens, mutos reperiebam. Cum ad opus inclinarem, retrahebat metus prȩviſorum malorum. Cum ad omitendum penderem, urgebat ſcrupulus, ne id ſuaderet ignavia, proprius amor, quietis affectus. Læditur à Principe, vel ab optimate peſſimo Eccleſia: defenſio tricas nectit; probationes nec vi extorquet; ſcandala ſuſcitat, minaturque ruinas. Conniventia obligationem, & quidem graviſsimam ſugge-

ſuggerit; peſsimi exempli perniciem; admirationem bonorum; offenſæ luctum Eccleſiæ. In defenſione opus exigitur, & maximè arduum. In conniventia, otium; & hoc facillimum, Præſuli gratum, cunctis plauſibile; ſed num Deo, valdè anceps, & dubium: hic enim dicit: *Beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam: & beati eritis, cum maledixerint vobis homines, & perſecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversùm vos mentientes propter me: & nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non poſſunt occidere*: ac denique *oportet, ut veniant ſcandala: verumtamen, væ homini illi, per quem ſcandalum venit*. Quam malè hujuſmodi Chriſti ſententiæ cum omiſſione conveniunt! Quam acriter conniventiam redarguunt! Ubicumque Magiſtratum, ſeu juriſdictionem exercui, de nimio zelo ab imperitis notatus fui; cum tamen de nimia remiſſione mecum ipſe dolerem. In diſtricta exomologeſi conſcientiæ meæ circa ea, quæ ad regimen ſpectant, & ad gubernium, vix reperio, quod aliquando in commiſſione peccaverim; at in omiſſione non ita. Reformido rationem omiſſionum; comiſſionum vix timeo. Et nihilominus, & has exagerat vulgus, quia ipſum exaſperant: de illis non loquitur, quia per illas non læditur. Verumtamen, non vulgus, non homo; ſed utique Deus, cujus judicia, & vera, & terribilia ſunt, me de his judicabit. Quid; ſi poſt operationem, prævisa mala ſequantur? quàm pœnitet fuiſſe operatum! Quid, ſi poſt omiſſionem permiſſa mala increbuerint, recruduerint, immedicabilia ſint facta! quàm dolet, non fuiſſe operatum? Ah! ſufficit, egiſſe prudenter. At, num verè prudenter! Solatium anceps, & quod omninò pendet

ab

ab ſtrictiſſimo Dei judicio, *qui ſcrutabitur Jeruſalem in lucernis, & juſtitias judicabit*.

Multa quotidiè occurrunt Epiſcopo in ſuo regimine peragenda: & obrutus aliquando multitudine rerum, neſcit quid agat, aut quid primùm expediat; ne cætera patiantur moræ periculum. Hinc urget clauſtralium Virginum cura; hinc aliqua Cleri neceſſitas; hinc Eccleſiarum immunitas; hinc Juriſdictionis indemnitas; hinc omnium ovium ſolicitudo. Unus cunctis incumbit, & ægrè ſufficit; ſi tamen ſufficit. Habet quidem miniſtros, & quandoque bonos; at ipſe verus, proprius, & præcipuus Paſtor exiſtit.

Quid dicam de malorum ſpirituum ſugeſtione maligna, quâ ſingulas regiminis operationes inficere ſatagunt? Nunc ſuperbiæ, nunc livoris, nunc lucri, nunc plauſus; itaut vix ullam impollutam relinquant? Et licet Epiſcopus à principio rectiſſimè agere intendat; perfidi virtutis oſores, operationem in decurſu obliquare pertentant: & num obliquaverit Epiſcopus dubitat; cumque telam gubernii ante mentis oculos, ferè ſemper tumultariè contextam, expandit; pannum reſpicit menſtruatæ. In his, & ſimilibus animi cruciatibus hoc habet ſolatium Epiſcopus, quod velit, quod intendat benè operari; quod opera ſua frequenter abluat rivulis lachrymarum; quod ſæpè conſcientiam emundet Sacramento pœnitentiæ; ut antiqui Præſules, ut Carolus Borromæus, ut Franciſcus de Sales, & alii recentiores fecerunt: in quo clariſsimè apparet, quam, & hi, licèt ſanctiſſimi, timerent ſordes, & pulveres in curandis ovibus plerumque pulverulentis, & ſordidis. *Bonæ menti ſuccurrit Deus*: *qui ambulat ſimpliciter, ambulat confi-*

cofidenter; Audeat Episcopus, audacter operetur, & in sola spe gratiæ cælestis innixus, confidat semper, se Deum habere propitium; à quo, cum habeat bonum velle, habebit quoque, & benè perficere.

CAPUT XXIII.

De Agonotheta Deo.

OMne bonum est ipse Deus, ejusque bonitati deesse nil potest, nec ei quidque addi: &, si cunctorum hominum intellectus, & Angelorum, etiam possibilium, per æternitatis interminabile spatium, singulis quibusque momentis primo divinitatis conceptui novum semper, majusque bonitatis adderent incrementum; nunquam tamen attingerent, vel primum limen veræ bonitatis divinæ, prout realiter ipsa subsistit in se: adeoque in eo nec minimum quid malitiæ, vel odibilitatis reperire fas est, vel effingere. Hinc sequitur, non posse Deum, vel esse, vel concipi sub ratione Tyranni, quod impiè blasphemant Dæmones, cæterique damnati; cum tamen Deus eorum sit ęquissimus Judex, eosque citrà meritum pœnis afficiat. Non igitur hìc Deum ipsum inter Episcoporum Tyrannos attexo; sed de ipso, ut de Agònotheta dumtaxat, & specialiter ago. Est autem Agònotheta Princeps ipse, qui, & agonem disponit, eique præsidet, ac præmium præparat, & coronas. Verùm, in hoc ita se gerit, ut plerumque certantes Pręsules in agone martyrii plus torqueat hujus Agònothetæ apparens subductio, quam realis cunctorum Tyrannorum crudelitas.

Patien-

Patientiſſimus Job, Dæmonum rabiem, hominum feritatem, uxoris contumeliam, vermium corroſionem, ſterquilinii fætorem, cæteraque mala tam fortiter pertulit; ut ſemper Dominum benediceret. Cum autem à Domino deſeri ſibi viſus eſt, ad amicos magno prorſus horrore clamare cæpit: *miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me*; nec aliter certè, quàm per ſui met apparentem ſubtractio-
a c. 15. nem, & occultationem: juxta illud quod: ait, [a] *novit, quod in manu ejus ſit tenebrarum dies*. Hac cum tene-
b c.36. broſa manu percuſſit, [b] *in qua lucem abſcondit* (ut idem inquit) quando ei fulgentiſsimæ ſuæ præſentiæ lumen ſubtraxit, & procul viſus eſt abiiſſe. Chriſtus Dominus, fortitudinis, & patientiæ ſymulacrum, in ſacræ ſuæ paſsionis acerbiſsimis cruciatibus, *tamquam ovis non aperuit os ſuum*: at, quando in cruce pendens à Patre deſeri utcumque putavit; tunc primùm clamare cæpit: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me*? Si hæc Patris derelictio Dei Filium adeò contriſtavit; quid ni Epiſcopum extremè conturbet, affligat, proſternat! Animæ ipſæ Divinæ contemplationi vacantes; cum primùm cœleſte lumen eas deſerit, miſerè contabeſcunt, conqueruntur, gemunt, languent, ſuſpirant, & mori videntur. In canticis canticorum id graphicè oſtenditur ſub ſponſæ figura, quæ ſeorſum à ſe dilapſum amariſsimè deperit. Id ipſum omnes, qui de Myſtica Theologia ſcripſere, teſtantur; & S. Matris Thereſiæ, B. Joannis à Cruce, aliorumque de contemplatione agentium, opera omnia; præſertim verò doctiſsimi, & illuminatiſſimi Præſulis Petri Matthęi Petrucci clarè demonſtrant. Hoc autem in Epiſcoporum martyrio acriùs ferit, ac

peri-

perimit. Non enim Dei lumine, ac assistentiâ pro sua tantùm ipsorum salute indigent; sed etiam pro cunctarum ovium sub eorum cura degentium.

Ignoto Deo immolabant Athenienses; Episcopus aliquando ignotissimo. Certè mirum est, quàm etiam in naturalibus Deus latère contendat! Videas alicubi montes asperrimos, omni venustate nudatos; rupes horrendas: scopulos, vel immaniter prominentes, vel insidiosè absconditos: Syrtes voraces, rapidissimos fluxus, atque refluxus, paludes noxias; regiones inhospitas, deserta invia, & inaquosa: mare glaciale, littora formidanda; ut quid (inquies) Deus hæc ita in Mundo disposuit, quem dedit hominibus habitaculum? Ad quid ista inserviunt? Si casu hæc omnia emersissent; aut si Deus ea nullâ prorsus arte formasset, vix alia forent. Verùm, sapientissimus, & providissimus Deus, optimè cuncta produxit, & sine ratione nil egit, egitque ita; ut homines, dum hæc ipsa vident, credant Deum esse, non sentiant. Id multò magis apparet in ejus Monarchico, & naturali rationalis creaturæ gubernio; sed quàm maximè in spirituali, & Ecclesiastico à Christi nativitate usque ad hunc diem. Quomodo fundavit Ecclesiam, quomodo erexit? Vide initia nascentis, vide jam provectæ incrementa: perpende Judæorum perfidiam repugnantem; ethnicorum prudentiam insultantem; Tyrannorum ferociam persequentem; & prorsus miraberis, per hæc eam ad tantam magnitudinem excrevisse. Intuere Pontifices Romanos, heresibus, schismatibus, bellis vexatos; Concilia Oecumenica immanissimâ Dęmonum rabie concussa; & obstupesces inter hæc Petri Cathedram prominere sublimiùs, & portas Inferi contra eam

non prævaluiſſe. Ita Deus, etiam, & quàm maximè in his credi vult; non videri; & cum abeſſe putatur, præſentior adeſt. Ita quoque ſe gerit in cujuſquè ſingularis Eccleſiæ gubernio, dum in pleriſque ipſius, & ejus Paſtoris neceſſitatibus receſſiſſe, aut obdormiſſe videtur; cui rectè ab Iſaia dicitur, [a] *verè tu es Deus abſconditus*.

[a] *Iſaias ca. 45.*

Dum ſtudet Epiſcopus abuſus evellere; novi naſcuntur: dum in malos invehitur; pejores fiunt: dum refractarios compeſcit; hi duriùs obſiſtunt: dum ſcandala tollit; majora inſurgunt. Prævalent Adverſarii, omnia ſuperant, omnia vincunt, exultant in rebus peſſimis; obloquuntur, derident, minantur, inſultant: & interim Epiſcopus confuſione plenus, ſatagendo, nil agit; ars nulla, nulla prudentia eum juvat; fruſtra operatur; quinimò, & cum damno. Tunc demum ſibi metipſi gravis effectus, in corde gemit, & clamat: *Deus, Deus meus, ut quid dereliquiſti me? Conſtituiſti me Ducem Populi hujus, & pedes vinxiſti? Dediſti regimen, & manus ligaſti? Operari jubes, & vires demis? Præficis, & deſeris? quid eſt hoc? Vide me Domine truncum inutilem, apodem, ſine brachiis, in terram dilapſum, impiorum, & ſubditorum calcibus elidi, & proteri. Si propter me mota eſt tanta tempeſtas; proyce me in mare, & fiat aliquando tranquillitas. Obſecro te Domine verbis Moyſis quondam Præſulis Populi tui,* [b] *ut interficias me; & inveniam gratiam in oculis tuis; ne tantis afficiar malis. Diriſſimè tortum mori ſinas, & requiem concede. Non inutilis modò, ſed & noxius factus ſum Eccleſiæ tuæ: aut eam à me libera, & alteri da; aut me ſolutum ab ea divelle, ut ſequeſter, ignotus, alicubi Tibi ſoli vivere poſſim*. Id petit Epiſcopus à Chriſti Vicario, & repellitur: auxilium poſtulat, & non

[b] Deuter. 1.

obti-

obtinet; hominem non habet in terris; in Cœlis adjutorem non reperit; nulla creatura Deo nolente juvat; ipse Deus tacet; & vel procul abiisse, vel non sentire, vel non esse videtur. Clamat interim Præsul: *exurge, exurge, quare obdormis Domine? Ut quid repellis in finem? Contra folium, quod vento rapitur, ostendis potentiam tuam, & stipulam siccam persequeris; & consumere me vis peccatis adolescentiæ meæ?* Certè, in tam grandi agone non est, quod magis eum affligat, quam præteritorum peccatorum memoria, vel etiam præsentium: & non humanæ virtutis est, quod tot afflictionibus obrutus, non desperet, aut desinat, sed prorsus divinæ. Deus enim occultissimâ providentiâ, mirisque modis ita se gerit, eaque omnia permittit; ut ipsum Prçsulem, benè probatum, sublimiùs evehat, & coronet: pro cujus ingenti solatio hìc nonnulla brevissimè attexam.

Nil est, quod Episcopum magis humiliet, quam hæc Dei providentissima sui occultatio, in qua evidenter agnoscit, se, non modò parum; sed omninò nihil sine illo posse: cumque præterita mente recurrit, ex prçsentium praxi clarè deducit; *omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum fuisse, descendens à Patre luminum*; & à se mala, tenebras, ineptias, nugasque fluxisse. Hìc fides viget, dum cuncta sine lege, sine ratione, sine justitia, & veluti casu; quinimò, & perperam fieri videntur: & nihil est, quod ad credendum moveat; sed quod removeat, planè multum. Spes ipsa, quæ in prosperis vix reperit ubi dentes figat; in hac tempestate soli Divinæ pietati firmissimè adhæret. Amor vero hìc exerit vires, & absque ullo penitus blandimento eum diligit, à quo deseri putat; ejusque bonitatem amplectitur, quem cre-

dit in se bonum,& sibi bonum minimè sentit.Quot actus fortitudinis, & patientiæ hic elicit divexatus; quos in malacia perdidisset? *Virum fortem injuriæ probant*:dicit Augustinus. *Fortitudo, rerum contemptu constat*; inquit Ambrosius. *Non est vir fortis, cui non crescit animus in ipsa rerum difficultate*; Bernardus docet. *Serpens, sitis, ardor arenæ; dulcia virtuti: gaudet patientia duris*: sanctè cecinit Poeta profanus.

In summis angustiis, & in perditis rebus hæc sæpè repetit Præsul desertus: *numquid aliqua creatura quidquam agere potest, quod Deus nolit; quod ignoret; ad quod non concurrat? Fortè, non ipsius est, rebus præfigere metas, modum, ordinem, intentionem, ac temporis spatium? Num eum latet, quantus ipse, qualisque sim; & qua gratia, & qua virtute muniverit? In agentibus totus est, & in singulis totus; itidemque in patiente: illis dat vires ad exercendum; sed non utique malitiam ad peccandum: huic tolerantiam tribuit ad meritum; non utique gratiam denegat, ut desperet. Satis est mihi, scire, quod Deus errare non potest. Nullus peccat per id, quod patitur*, (hoc est, renuente voluntate) *sed solum per id, quod agit*: inquit Angelicus. *In ipsa Redemptoris crucifixione actio displicuit; passio grata fuit. Si persecutorum malitia Deo displicet; grata fit patientis virtus. Nullus me lædet, si me ipsum non læsero; vera læsio à propria voluntate, non ab aliena promanat. In hoc hominum natura consistit* (Ut ait Chrysostomus in homilia, quod nemo læditur nisi à semetipso) *rectè sentire de Deo, & rectè inter homines agere: quæ si habeat; auferre ab eo nullus omninò, nec ipse Diabolus potest; nisi ipse, qui ea possidet, perdat.* Stet ergò Episcopus imperterritus, & certò sciat, *se facturum cum*

tenta-

tentatione proventum. Adeſt præſentiſsimus Deus, & abeſſe neutiquam poteſt; videt, adjuvat; ſed videri, & ſentiri non vult. Cæci ſumus; Dei adjutorium credere oportet; non ſenſibus experiri. Ah! quoties in deſperatiſſimis rebus felix eventus ſubitò emerſit! Ut noveris; omnipotentiſſimam Dei providentiam, non mediis, non humanis diſpoſitionibus indigere; ſed poſſe in aquis vehementibus ſiccum iter præbere; ſolvereque de petra duriſſimâ fluvium dulciſſimum. Ipſa mortuos excitat, etiam quatriduanos. Qualibet die novum aperit in mundo Theatrum; & quos heri oſtendit miſeros; hodiè fortè, vel craſtinà proferet exemplo felices. Quid futurum abſcondat, profectò neſcimus. Scimus tamen, & fide credimus, *quod momentaneum hoc; & leve tribulationis noſtræ, æternum gloriæ pondus operatur in Cœlis*. Patere hodiè Dei ſimulatum abſceſſum: diù vixiſti; ſi non cras, ſaltem brevi eum clarè videbis in Cœlo; qui juſtus, & miſericors Agònotheta, pro tam multiplici, & temporali martyrio æternas dabit coronas; (meliùs dixerim) erit ipſe corona.

CAPUT XXXIV.

Ad ambientes Epiſcopatum Parænesis.

LOngè plura in medium proferre potuiſſem pro Epiſcoporum ſolatio in ipſorum martyrio; ſed neque vacat,neque prolixior fieri volo in argumento,cui multa ſuppeditant Sanctorum Epiſcoporum ſcripta,& ipſorum præcipuè geſta. Lectores ad eos remitto; & præſertim ad Chryſoſtomum exulem, & in exilio defunctum.

Nunc

Nunc juvat ad eos ſermonem convertere, qui hoc martyrium minimè reformidant; ſed ambiunt; neſcientes, profectò, quid petant. Cum Mauri magnam Hiſpaniæ partem armis, ac viribus poſſiderent, multos Chriſti fideles martyrio afficiebant; quorum ſortem cum plurimi concupiſcerent, ultro, nullâque neceſſitate coacti, ſe Tyrannis, atque tortoribus objiciebant; ut Martyres fierent: ſed plerique, in pœnam temeritatis, & nimiæ in ſe confidentiæ, fiebant Apoſtatæ: Ut longè priùs contigerat in Africa ſub anno 301. ubi nonnulli Patres ultroneam hanc ſui exhibitionem, Tyrannorumque provocationem inhibuere; niſi quis ſpecialiori Spiritus Sancti impulſu urgeretur. Magis tamen vetita eſt ambitio ſpiritualis martyrii, quod ſub infulis reperitur: & licet Apoſtolus dicat: *qui Epiſcopatum deſiderat, bonum opus deſiderat*; non propterea deſiderium laudat; ſed opus: poſſum enim ego bonum opus deſiderare, ſed malo utique deſiderio: ut perpetrare miracula, futura prædicere, noſſe occultiſſima. Quod autem magis vetitum ſit Epiſcopatum deſiderare, quam corporale martyrium, vel inde liquet, quod ad hoc ita fuere aliquando à Spiritu Sancto quidam impulſi, ut illi ſpontè ſe objicerent: ad Epiſcopatum verò neminem ex Sanctis invenies fuiſſe ita proclivem, ut illum ultrò appetierit. Omnes pios refugiſſe videas; quęſiſſe neminem. Grande argumentum temeritatis in eo, qui petit! Altè perpende, quid egerit Ambroſius, ne fieret Epiſcopus; & maximè pudeat te plura gerere, ut fias. Ille, Divinitùs inauguratus, reſtitit: tu inconſulto Deo expetis. Ille populo acclamanti ſuccenſuit: tu laudatus, exultas. Ille ſævitiem finxit, ut reprobaretur: tu blandiris, ut eligaris.

Ille

Ille famæ jacturam exposuit, ne videretur idoneus; tu probitatem ostentas, ut habearis emeritus. Ille suffragium Cęsaris non admisit:tu Principum favorem captas. Ille, invitus, gemens, coactus fuit subire Thronum: tu vix cohiberi potes, ne ascendas. Et nihilominus, quæ non fuit ille passus in Episcopali martyrio? Et tu nihil in eo passurum te putas? Verùm, ille pati non timuit, quia Cathedram non ambivit: tu verò timebis, quia quæsisti. Et quid quæsisti? Deus bone! Amissa libertate, mancipium fieri, damnari ad bestias, ad metalla, ad naufragia, ad præcipitia, ad ignem, ad gladium, & ad cætera mala, quibus Præsules exponuntur. Fortè dices, te fortiter hæc omnia pro Dei gloria, & animarum salute perpeti velle. Magnus profectò ante agonem Athleta! Magnus item athleta, qui hactenus Tyro, aut pugil non fuit! Audi Nazianzenum adversùs hujusmodi audaces,zelo percitum, declamantem. *Nunc* [a] *periculum est, ne ordo omnium sanctissimus sit omnium maximè ridiculus: non enim virtute magis, quam maleficio Sacerdotium paratur: nec dignorum,sed potentiorum throni sunt. Cumque, nec Medici, nec pictoris nomen quisquam obtineat; nisi priùs morborum naturas consideraverit, aut multos colores miscuerit, variasque formas pennicillo expresserit: Antistes contrà facilè invenitur,non elaboratus, sed recens; quantùm ad dignitatem simul satus,& editus: quemadmodum Poetæ Gigantes fabulantur.* Subinde prosequitur: *nos una die Sanctos fingimus, eosque sapientes, & eruditos esse jubemus, qui nihil didicerunt; nec ad Sacerdotium quidquam priùs tulerunt, præterquam velle. Papæ! Quam egregia præfectura! Quam excelsus animus! Protinus Samuelem ab incunabulis sanctum in ore habemus;*

[a] orat. 20.

mus ; protinus ſapientes ſumus , protinus præceptores , protinus legislatores , protinus rerum divinarum cognitione ſublimes ; noſque metipſos calculo noſtro cœleſtes deſignamus .

Qui nunquam agros excoluit , ſi villicus eſſe velit, & fiat ; quid faciet , ſi ſpineta, ſentes, & vepres , zizania , urticæ, aconita, & cicutæ; ſata, plantas, vineaſque inficiant,& perdant? Qui mare nunquam aſcendit;ſi navem ſibi committi curaverit , & ad clavum ſedere ; oborta tempeſtate quid aget ? ventos neſcit, acum ignorat, chartam nauticam non intelligit , magnetis naturam planè miratur ; ſed minimè aſſequitur : quid (inquam) agit ſæviente borea , vel auſtro ? Qui nunquam arma tractavit, ſi belli dux eſſe contendat ; irrumpente hoſte: ac validè urgente , quomodo commiſſas acies firmabit, diſponet , obtrudet ? Utinam omne damnum, omne diſcrimen , omnis ruina ſolum villicum , aut nautam , aut ducem obrueret ! Ineptus Epiſcopus vix ſolus perit :

[a] De Reg, Præl. c. 126. [b] lib.6. de Sacerdotio.

[a] *Grande prorsùs onus,negotium multarum vigiliarum; pavendumque miniſterium eſt regimen animarum* : ait Laurentius Juſtinianus . [b] *Quippè difficultates eas omnes recenſere , quas Epiſcopum tolerare oportet ; prorſus nihil aliud fuerit , quam maris altitudinem emetiri* : ſcribit Chryſoſtomus . In caput verò primum Act. Apoſtolorum ſic ait : [c] *Nonnè terrarum Orbis imperium tenet Imperator : hic autem unius Civitatis Epiſcopus eſt? Sed tantùm plus curarum habet hic , quantum intereſt inter aquã fluminis vento agitatam , & inter mare intumeſcens, & inſaniens* . Subdit autem Chryſologus . [d] *Certè, neque mare unquam poteſt undis carere, neque illius animus curis , atque anguſtiâ . Cogitet ergo , qui honorem affectat*

[c] hom. 3.

[d] lib.5. tom. 5. de Sacerdotio.

tempe-

tempestatem se affectare (ut ait Philo hæbr.) Dicet fortè insularum Venator: Si quid in me deesse perspexero in Animarum regimine, per alios supplere curabo, & Vicarios diligentissimè adsciscam, qui meos defectus abundè suppleant. O stulta responsio! ergò salus ovium erit magis Mercenario credenda, quàm vero, legitimoque Pastori? Nonnè in Episcopi electione electi industria deligitur? Oh! quam differunt vox Opilionis, & vox Pastoris; zelus Patris, & zelus Nutritii; præsentia Principis, & præsentia Ministri? Oh! quam distat primaria potestas à potestate Vicariâ! Non sic effugies manus Domini: ut Episcopus judicaberis, ut Episcopus condemnaberis: Vicarius portabit censuram Vicarii, non Episcopi. Oh! quam præposterus ordo! Par erit Vicarius oneri Episcopali, cui se imparem fatetur Episcopus? Hic ergo erit Episcopo major. Audi Spiritum Sanctum, sic te monentem: [c] *noli quærere fieri Judex, nisi valeas virtute* (non utique alienâ; sed tuâ) *irrumpere iniquitates*. Time, ambitiose, præfici; &, vel idoneus, Episcopari formida. Compara te Bernardo, Thomæ Aquinati, Bernardino, aliisque quamplurimis, in albo Sanctorum adscriptis; qui à præcipuis Ecclesiis expostulati, strenuè restiterunt, se indignos tanto munere fassi: & vide, nùm tu illis dignior existas; ut audeas, non postulatus, ex viduis Ecclesiis, unam, aut alteram postulare. Si te meliorem existimas; superbus es nimis: si non esse putas, indignus petis. Utrobique te reum agnosce, tam prælationis iniquæ, quàm petionis indignæ. Habes igitur Sanctorum exempla; & eorum qui nullatenus præesse voluerunt; & eorum, qui præesse violenter coacti sunt: nullum ex his imitaris; nec renuis.

c in Ecclesiast. c.7.

R nuis.

nuis, nec cogeris: ultrò appetis. Eos condemnas, improbus Judex, si te benè facere putas. Veriùs tamen, illi te damnant, quorum virtutem nullo pacto vis sequi. Vel exinde tanto munere indignus appares, quod te dignum fateri non erubescas; & certè adhuc silens fateris, cum illud, aut ultro quæris; aut non invitus acceptas.

CAPUT XXXV.

Ad eosdem.

Tanta est ambitionis prurigo, ut efficacioribus indigeat argumentis compesci. Ecclesiarum pernicies, quibus ambitiosi præficiuntur; & eorum ruina, qui præfici ambiunt; cogunt me contra eos vehementiùs insurgere, illosque prolixiùs insectari: quod hìc faciam unicâ quidem; sed & prorsus irrefragabili ratione; cui si non cesserint, cum Juda peribunt, & eorum Episcopatum alter accipiet.

Audite Chrysostomum, sic declamantem, & contremiscite Præsulatus ambitiosi: [a] *Non temerè dico; sed ut affectus sum, ac sentio, loquor. Non arbitror inter Episcopos multos esse, qui salvi fiant; sed multò plures, qui pereant. In causa est, quoniam res excelsum requirit animum. Non vides, quàm multas res oportet adesse Episcopo? Quam innumeris oculis illi sit opus undique? Ut sit appositus ad docendum; ut tolerans sit malorum; ut subditorum salutem anteponat suæ; ut tenax sit, ac fidelis in doctrina sermonis. Sed quantæ hoc difficultatis est! & insuper, quod alii peccant, illi imputatur.* Hæc ibi; & in homilia 4. ad Hæbreos, horrore perculsus interrogat:

[a] hom. 3. in act. Ap.

quid

quid dicemus infelicibus illis, qui semetipsos ad alios regendos præcipitant, & se in tantorum suppliciorum abyssum jactant? Perpendite verba, pensate pericula; & si salvari cupitis, periculosissimum fugite Præsulatum. Si privatus homo, etiam Religiosus, & Anachoreta in directo Dei judicio damnari timet: quid ni plus id reformidet, qui publicum gesserit Magistratum, eumque sacrum, & planè divinum? Gregorius Magnus ad singulos Episcopos ita loquitur: [b] *Penset ergo unusquisque, qui ad satisfaciendum districto Judici de sua fortasse anima vix sufficit; quod tempore reddendæ rationis quot regendis subditis præest; tot (ut ita dicam) animas solus habet: quæ nimirum cogitatio, si assiduè mentem nostram occuparet, omnem superbiæ tumorem sine dubio premeret.* b 4. moral. ca. 30.

Sanctus Paulus Apostolus, classicum personans, omnes creaturas provocat ad certamen: [c] *Quis ergo* (inquiens) *nos separabit à charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? (sicut scriptum est: quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oves occisionis) sed in his omnibus superamus, propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principatus, neque Virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro.* Magnus animus, egregius, imperterritus Miles! At verò totus alius, & à se ipso diversus sic ait: [d] *Et ego in timore, ac tremore multo fui apud Vos.* Ergo ne, qui omnes provocat, imò, & omnia; ita timet, ac tremit? Ita quidem; sed non alios, nec alia. Se tantùm, se utique timet,

c c. 8. ad Roman.

d epist. 1. ad Corinthios c. 2.

ac tremit, in animarum cura formidolosus. Attendite Chrysostomum in hunc locum. *Si Paulus, Dei mandata sic observans; ut majora etiam, quam ipsi à Deo injuncta fuissent, præstaret; nunquam sui ipsius, sed subditorum tantùm commodo studens, sic ubique formidabat, Magistratus sui molem expendens: quid faciemus ipsi, qui multi ubique sumus in quærendis, quæ nostra sunt? Qui Christi mandata, Pauli exemplo, non modò non superamus? sed eò majori ex parte transgredimur.* Ubi ergo Paulus timuit, tu audes? Væ tibi, si vel unica tantùm anima, tuâ culpâ cadat in præceps.

Quid te movet, ut Episcopatum ambias? Fortè honor, tituli, rheda, palatium, redditus, famuli, thronus, thiara? Verùm, non hæc sunt Episcopatus: nil ex his habuere primi Ecclesiarum Episcopi; nec modò habent, qui sunt in Libano. Non ergo Episcopatum desideras; sed Episcopalia: non bonum opus; sed boni operis adminicula. Oh! quam præposterè agis! Finge te brevi moriturum; aut iturum ad Indos, nunquam hùc reversurum: & desines ambire gradum, cujus blandimenta, vel sepulchri propinquitas, vel magna terrarum distantia non sentiat. Quidam Religiosus infra quinquennium pro nullitate suæ professionis apud me institit, & metum adfuisse tandem aliquando, me, de industria moras trahente, atque cunctante, probavit. Planè noveram, eum in sæculo non probè victurum; adeòque ipsius salutem in magno periculo fore: promisi de professionis invaliditate decretum; hac tamen conditione, ut priùs fidejussorem inveniret, qui suo juramento sponderet, eum saltem ad sex menses post abditam Religionem inter vivos futurum. Negavit ille, se talem sponsorem ullatenus

dare

dare posse: cumque ipse in ea conditione persisterem, & ille negaret, ob mortis incertissimam horam; tunc apertè subtexui: Ut quid ergo ita sæculum deperis, in quo nec semestrem vitam tibi certò promittere potes? Quid, si statim post exitum moriaris? Hac animadversione perculsus, in Religione permansit. En! Thiaræ affectatur, quam diù vivere speras? Quid si brevi desinas esse? Quò decus, quò corpus, quò profusæ divitiæ, quò anima abibunt? Age, optimè vir; si Religionem vis ingredi; si Eremum petere; si ad Sarmatas proficisci probo. Si Episcopalem Thronum scandere cupis: non probo. Cadere potes, & brevi; & fortè, undè per sæcula æterna exire non possis. Quam differunt inter se, tempus, & ævum! Quæ finem habent, non modica sunt, sed nulla; si comparentur æternis. Ergo, non tu quæras Episcopatum; sed ille te: ne sis Infularum venator; sed præda.

Ità magnus Basilius (ut inquit Gregorius Nazianzenus in oratione de ipsius laudibus) *non hanc potestatem furatus, nec eam per vim petitus, nec honorem prosecutus; sed ab honore quæsitus dicitur*: & Petrus Damianus de S. Severo, qui Columbæ judicio coactus fuit Episcopatum subire: [e] *Conqueritur*, ait, *intra se Severus, nil sibi profuisse refugium: verumtamen adhuc suspicatur deceptam errore columbam*. Quam procul ab Infulis animo aberat, qui adeò manifesto miraculo ad eas ferebatur, & vix tandem, vel illi fidit, aut cessit! Verùm, contrariis votis *curritur ad Ecclesiasticas curas* (exclamat Bernardus) [f] *tamquam sine curis jam quisque victurus sit, cum ad curas pervenerit: & qui nondum curas experti sunt, videntes alios, qui jam humeros submiserunt huic sarci-*

e Ser. 4

f epist. 24.

sarcinæ, non solùm non gemere tamquam sub onere, sed insuper appetere plus onerari: non deterrentur periculis, quæ cupiditate cæcâ non vident. Quæ ista insania est? Ubi timor Dei? Ubi mortis memoria? Ubi gehennæ metus, & terribilis expectatio illa judicii? Quò ascendis miser, ut ab altiori gradu sit casus gravior? non cum tanta alacritate currerent ad honores, si sentirent & onera. Gravari profecto metuerent; nec cum tanto labore, & periculo dignitates affectarent. Affectant autem, quia sola attenditur gloria, non pœna: quam ipse spirituale, mysticumque martyrium appello. Sanctus autem Anselmus in illud Apostoli ad Hæbreos. [g] *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tamquam Aaron*, sic ait: *percutiuntur hac sententia, qui honores Ecclesiasticos, ad quos divinitus non vocantur, arripere cupiunt: qui enim se ingerit, & propriam gloriam quærit, non sumit sibi honorem, si Pontifex, aut Prælatus in Ecclesia factus fuerit; sed gratiæ Dei rapinam faciens, jus alienum usurpat: & ideò non accipit benedictionem, sed maledictionem.*

g c. 3.

Miraberis fortè, quod tantùm avertar ab iis, qui præferri contendunt; & parum erit, nisi etiam contra me irascaris, avertentem animum tuum ab eo bono, quod impensissimè deperit. At imitare, irascere, quantum velis; dummodo per me à periculo erutus, salvus fias. Defunctus olim, quidam, cui alius oblatas infulas respuere, persuaserat; huic in oratione lætus apparuit. &, [h] *gratias* (inquit) *tibi refero Pater ex dissuasione Episcopatus: nam scito, quia nunc essem de numero damnatorum, si fuissem de numero Episcoporum*. Ita refert Cæsarius. Ergo, ne irascaris; sed gratulare; meoque tam salubri consilio utere, dum utique potes, & debes.

h lib. de vita, & Regem. Episcoporum.

CA-

CAPUT XXXVI.

Ad electos in Episcopos.

ELecti ritè in Episcopos illi sunt, qui vocantur tanquam Aaron, Episcoporum figura. Qui ambiunt non dicuntur electi; sed eligentes. Verùm ad primos Episcopos Christus ait; *non vos me elegistis; sed ego elegi vos*; probè significans, nemini hujusmodi Præfecturam esse tradendam, qui eam ambiat, sed quæsito, & electo. Non enim homini consulendum est, sed Ecclesiæ. Huic autem, qui sic eligitur, ait scriptura: *Fili accedens ad servitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem*. Nulla prorsus major Dei servitus, quam in salutem animarum eidem cooperari, & nusquam meliùs, quàm in Cathedra Episcopali: at nusquam etiam tentatio crudelior, & immanior; ut hactenus vidimus. Quid ergo faciat Episcopus, non ultroneus, sed quæsitus; & ritè electus? dignitati præferat humilitatem; periculosum onus refugiat; & id pro viribus agat; ut cum prædictis Bernardo, Thoma Aquinate, Bernardino, & aliis Sanctissimis Viris liber abire sinatur: sin minus, ut invitus, & coactus cum Ambrosio, Gregorio, & mille aliis summis Præsulibus, tamquam victima ad aras, trahatur ad Thronum. Si effugiat; poterit gloriari cum illo relato à Thoma Cantipratano, qui rejecto Episcopatu, & pridem vita functus, oranti Amico sic ait: [a] *quod in vita semper timui, nunc scio: scilicet, quod si Episcopatus Cathedram ascendissem in damnationis periculum incidissem.* Si verò effugere non valuerit, caput Imperio Dei, ejusque

[a] lib. 1 excpl. cap 29

que Vicarii ſubmittat, trahique ſinat ad ſpirituale martyrium, victima obedientiæ; non utique præſumptionis; & qui elegit ad onus tàm grande, grandes quoque vires ſuppeditabit, ut ferri poſſit.

Hæc autem cunctis electis, & utcumque in poſterum eligendis, ſuadeo. Primùm, ut exercitia, quæ dicuntur ſpiritualia, seriò perficiant; eòque tempore tanti muneris pondus æſtiment, ſuaſque vires perpendant; & Deum enixè præcentur, ut ſi poſſibile ſit, tranſeat ab eis Calix iſte: ſed tamen ita, ut illius voluntas fiat, non ipſorum. Sanctus Gerardus Carmelita, nobilis Venetus, primus Ungarorum Epiſcopus, cum Infulas effugere non potuiſſet; ad eas, non decem dierum; ſed ſeptenni abditiſſima exercitatione, ſe antea in Eremo diſpoſuit; & ſubindè infulatus, Martyr vixit, & Martyr occubuit.

Ne autem ab hujus operis argumento nimiùm exire videar, alia, quæ ab hujuſmodi candidatis exigerem, compendio dicam. Attentè perlegant auctores illos, qui de Præſulibus agunt; præſertim verò Divi Gregorii opus de Cura paſtorali; Dionyſii Cartuſiani de Regimine Epiſcoporum; ſtimulum Paſtorum; Alexandri Sperelli, Eugubini Præſulis *Epiſcopum*, ubi egregiè, fusèque boni Antiſtitis partes deſcribit. Ita quoque Manuale Epiſcoporum Januenſis, & alios Tractatus hujuſmodi; ne prius ad praxim accedant, quàm tanti miniſterii notitiam theoricè prælibaverint. Ignorantia muneris multos decipit; & ubi de animarum ſalute agitur, ſi errare contingat, longè turpiſſimum eſt dicere: *non putaram*: Hoc martyrium reſpuit inermes, aut decipit; nec raró vincit: Cathaphractos exigit, probèque munitos;

nitos; ne cadant victima dæmonis, qui pro Christo hostia sunt infulata. Magnum ipsorum erit solatium, prævidisse; ac etiam quantùm possibile fuerit, hujus agonis insidias, pericula, & pœnas, opportunè cavisse. Nec minùs utile dixerim, in propriæ Diœcesis Theatrum dignè ingredi, & virtutum, non tàm fama, quàm exercitio auspicari martyrium. In vulgus enim plurimùm valet opinio, eàque prima, sed fortiùs mala, quam bona.

CAPUT XXXVII.

Ad Episcopos actu curam Animarum habentes.

HOc meum qualecumque opus de consolatione, ad vos præcipuè dirigitur, qui in agone positi, certamen habetis adversùs Inferni, & mundi Phalanges; seu potiùs ipsæ vos impetunt, dilacerant, & Martyres gloriosos efficiunt. Fratres mei dilectissimi, quos omnes majores agnosco, & ut præcellentissimos Dominos veneror; ego minor natu, & vile mancipium, vos Apostolicis Jacobi verbis hortari præsumo, aut veriùs consolari: *Omne gaudium existimate, cum in varias tentationes incideritis; scientes, quod probatio fidei vestræ patientiam operatur; patientia autem opus perfectum habet*. Ad grande opus vocati estis; ingens onus portatis; & quamquam Christi oves pascitis, ut oves nihilominus inter Lupos missi estis. Operari oportet; ferre onus; pati morsus; dilacerari. [a] *Equidem* cum Paulo *repletus sum consolatione, superabundo gaudio in omni tribulatione vestra; quoniam merces vestra copiosa est in Cœlis*. Mea mater, Hispaniæ Decus, Theresia, propè mortem, post

a 2. ad Corint. cap. 7.

tot exanthlatos labores; post tot, & tantas ærumnas, infirmitates, calamitates, & persecutiones; audacter dicebat: *se de his omnibus plenam mercedem recepisse fassuram; si per ea, vel unius Virtutis actus Deo gratus fieret, qui sinè illis minimè fieret*. Eja, Nobilissimi Commilitones, non unus virtutis actus; sed plurimi vestro labore à nonnullis vestris subditis exercentur; & (quod majus est) multa mala, vestro zelo, & vigilantiâ desinunt esse; aut non incipiunt, & minimè fiunt, quæ aliàs certissimè fierent. Facilè credo, vestra ope unam, vel alteram animam, & fortè plures, nunc in Cęlo reperiri, quæ sinè vestro auxilio periissent. Oh! quam gloriosum est, ab Inferni faucibus animas eruisse, & inter beata Sanctorum Agmina æternùm victuras collocasse! Non istæ reddent odium pro gratia; sed optimis benefactoribus perquàm gratissimæ, Deo preces pro eorum salute profundent; per quos salutem se noverint consecutas. Si fas est dicere, piè credo, vix posse damnari, qui alios salvos facit; juvante Domino cooperatorem suum; & intercedentibus, qui per eum salvati sunt, pro ministro salutis suæ. Non vos pigeat, vel per acerbissimas pœnas ab Inferni pœnis unicam saltem animam liberare; quin potiùs charitas urgeat, per immane, sed breve martyrium, unicam saltem animam æternæ felicitati donare. *Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in Cœlis*. Desinent pęnæ; cessabit martyrium: merces verò, & gloria, & felicitas æternùm durabunt. Temporale, quod cruciat; æternum est, quod delectat. Malorum, quæ apud Indos perpessus fui, vix modo recordor. Ita eorum, quæ apud Græcos, &, quæ apud Brutios; quinimò, & quæ hic hactenus utcunque sum passus:

sus:

ſus: omnia per ſomnium mihi accidiſſe videntur; & miror, aliquandò ea ita ſenſiſſe, quæ nunc profectò derideo: & certè me pænitet, nugas, ineptias, adverſitates tanti æſtimaſſe, quas contempſiſſe debueram. Quid tandem, aut delectabile, aut utile, aut honeſtum eripuere? Nec victus defuit; nec operimentum; nec ſanitas. Si cuncta proſperè, ſi ad votum omnia ceſsiſsent; non ita valerem. Si breve tempus grandis tormenti delet memoriam, quid faciet æternitas? Si poſt annum vix recordamur malorum, quæ nos priùs dirè afflixerunt: quid faciet in æterna beatitudine ſæculum? Quid centum, quid mille ſæcula? Veteris Teſtamenti, & Eccleſiæ primitivæ martyres, antiquarum preſſurarum penè obliti; nunc gaudent ſine fine, *& gaudium eorum nemo tollet ab eis*. Si æmulari non audemus; ſaltem imitemur, Ambroſios, Chryſoſtomos, Gregorios, aut etiam Ignatios, animosè provocantes beſtias ad devorandum. Virgo Blandina, cum tentaretur, & torqueretur, ajebat: *Chriſtiana ſum, Chriſtiana ſum*. Nos ergo, vel Fœmina doceat, in noſtro ſpirituali martyrio ſtrenuè reſpondere: *Epiſcopi ſumus, Epiſcopi ſumus*; hoc eſt *Martyres ex officio*: & libentiſſimè patiamur. Mementote Chriſti Jeſu, eumque imitamini; *qui propoſito ſibi gaudio, ſuſtinuit crucem, confuſione contemptâ*. Dicamus cum Paulo. [b] *In omnibus tribulationem patimur; ſed non anguſtiamur: aporiamur, ſed non deſtituimur; perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur; dejicimur, ſed non perimus: ſemper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris: Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jeſum*. Quid melius? Quid

b *ad Chorib. 2. c. 4.*

jucundius? Quale solatium, hæc omnia perpeti propter Jesum? idcircò *ibant Apostoli gaudentes à conspectu concilii; quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*. Mei ergo Commilitones, in angustiis, in afflictionibus, in agonibus, in martyrio vestro gaudete: [c] *nam, cum apparuerit Princeps Pastorum, percipietis immarcescibilem gloriæ coronam*. Inclita mater magni Præsulis Ancyrani Clementis invictissimi martyris, his verbis identidem repetitis, longè meliùs, quam Leonum medullis, filii animum ad pertinacissimum viginti octo annorum roboravit agonem: *Negocium (Gnate) pro quo contendimus vita æterna est*. Hoc pabulo vos etiam saginate cor vestrum, ut in Episcopali martyrio firmiùs perseveret, passim repetentes: *Negocium, pro quo contendimus, vita æterna est*.

c 1. Petri 5.

CAPUT XXXVIII.

Ad Episcopos Titulares.

QUi Episcopi Titulares dicuntur, aut spirituale animarum gubernium non habent, aut illud extra proprias Ecclesias de S. Sedis Apostolicæ imperio exercent. De his eadem est ratio, ac de aliis, de quibus hactenus egi. Ad primos ergò nunc meus sermo convertitur. Fratres nostri vos estis eodem charactere insigniti; quos Summus Pontifex, Ecclesiæ Caput, in suæ solicitudinis partes assumpsit, vel Romæ in Congregationibus dirigendas; vel apud Reges, Principes, & Respublicas in Nunciaturis repræsentandas. Nec vobis puto deesse martyrium; sed alterius generis esse

arbi-

arbitror: cum non proveniat ex immediata Episcopali animarum cura, sed à negociis, & quidem arduis, & gravibus, quæ ad Ecclesiæ commune bonum vos geritis. De his nihil mihi occurrit dicendum; sed dignitatem vestram, quæcumque illa sit, veneratus, obtestor: ut fratres vestros Episcopos in agone positos juvare, velitis; ut misereamini pressurarum eorum; ut vestro suffragio characterem vestrum in vestris Coepiscopis honoretis; ut vestro favore illorum gradum stare faciatis; nè adversantium impetu fortè labatur. Fas est, & decet, vos meminisse Fratrum vestrorum eisque stipendia (ubi opus fuerit) auctoritatis vestræ impartiri. Supremus in Ecclesia Dei Episcopalis character clariùs fulgebit in vobis, si etiam in aliis refulserit.

CAPUT XXXIX.

Ad Populum Paræne∫is.

VEstri Pastores, Agricolæ, Magistri, Duces, Principes, & Parentes Episcopi sunt; eòque majori æstimatione digni, quantò spiritualia temporalibus longè præcellunt. Non est Pecudis, vexare, lacerare Pastores: non est Vineæ, Agricolas felle potare: non est Discipulorum, verberare Magistros: non est Militum, Ducem persequi: non est Subditorum, insurgere in Principes: postremò, non est Filiorum, temerare Parentes. Ad hos omnes in vobis exigitur amor, obsequium, sequela, docilitas, patientia, simplicitas. Secùs agentes, non tàm eos, quàm vos ipsos offenditis: per hæc omnia discurrite, & clarè intelligetis, vestro malo vos perperam cum eis agere.

Obe-

a c. 13. ad heb. [a] *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris redditurі; ut cum gaudio, hoc faciant, & non gementes: hoc enim non expedit vobis*. Ita præcipit vobis Apostolus: perpendite vim, rationemque præcepti; & inobedientiæ præjudicium vestrum fore, non præpositorum, agnoscite.

Christus Jesus, quem adoratis, Episcopis ait: *qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit*. Nil efficacius dici potuit ab æternæ veritatis oraculo ad incutiendum vobis timorem, obsequium, & obedientiam erga Prælatos! *Deum audit, qui eos audit: Deum spernit, qui eos spernit*. Quid clarius? Quid horribilius? Et tamen, quid certius? Qui negat; Acatholicus est, & planè infidelis. Vos Divinissimæ Eucharistiæ Sacramentum humillimè cernui adoratis; quia Christus dixit: *hoc est corpus meum*: ut quid ergò vocem Præsulis obsequentissimè non audiatis, cum idem Christus affirmet: *qui vos audit, me audit*? Nùm in uno verax est; in altero mendax? blasphemum est, id asserere. Certissimum itidem est, eum, qui sperneret sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, Christum spernere: at non minus de fide est, Christum spernere, si Præsulem spernat. Inexcusabiles eritis, si excusationibus vestris omnem aditum mòx præclusero.

Prælato vestro vos fortè obijcietis, aut nobilitatis, scientiæ, aut prudentiæ, aut urbanitatis defectum; aut etiam zelum indiscretum, livorem, intentionem obliquam; aut si quid est aliud, quod eum reddat odibilem. Ita sit: vos tamen excusare nō possum, nisi obsequamini, nisi revereamini. Qui ait; *qui vos audit, me audit: qui vos sper-*

ſpernit, me ſpernit; abſolutè locutus eſt; nullã exceptionem admiſit. Crevit in Sylvis Arbor ignobilis; exciſa, jacuit in luto; vetuſtate contabuit: non ita tamen, ut non poſſet ex ea Crucifixus effingi. Exponitur hic adorationi Fidelium: quis renuat, obtendens ligni dedecus contemptibile? Non materies adoranda; ſed forma. Idem, & in Prælato contingit: Non ejus ſanguis, non genus, non ſingularium excellentia talentorum; ſed vox audienda, juſſa præſtanda, auctoritas nunquam ſpernenda. Ut in Crucifixo conſideratur effigies; in Prælato loquela. Ibi Chriſti repræſentatur Imago; hìc utique vox. Ibi videtur, hìc auditur. Utrobique idem eſt, vel ſono, vel forma; nuſquam ſpernendus; ubique adorandus; tàm in cruce lignea, plumbea, ferrea, argentea, vel aurea; quàm in Præſule ignobili, indocto, inurbano, imprudenti, livido, & palàm vitioſo; vel è contra, undique meritiſſimo: quod apertiſſimis verbis ipſemet Chriſtus aſſeruit, dum cunctis diſtrictè præcepit, dicens: *ſuper cathedram Moyſi ſederunt Scribæ, & Phariſæi: quæcunque dixerint vobis ſervate, & facite: ſecundum opera eorum nolite facere*. Nulla præfectura efficit homines impeccabiles: & Dei aſſiſtentia, non operibus, ſed voci promittitur. Cuicumque ſedenti ſuper cathedram Moyſi (quæ modò eſt Chriſti) ſive Scriba ſit, ſive Phariſæus, ſub pœna damnationis æternæ parendum eſt; non iraſcendum, non inſultandum, non obloquendum; non denique gravandum, odio, perfidiâ, perſecutione, martyrium.

CA-

CAPUT XL.

Ad Principes, & Magistratus Paranesis.

DIgnitati vestræ verba facturus, ab obsequio exordior, quo vos ex animo veneror. Non aliquid dicam, ut descendatis; sed utique, ut stetis in gradu vestro. Si altiùs ascenderitis; violento ascensui casus imminet. Spirituale gubernium sublimioris ordinis esse, quam temporale; celsitudo animæ supra corpus facilè probat: nec quisquam negabit; æterna prævalere caducis. Ex his clarè deducitur, utramque jurisdictionem sphæram habere diversam: & cum ea, *quæ à Deo sunt, ordinata sint*; planè liquet, sphæram alteram alteri subesse; ut in Cœlis vidimus. Probè igitur intelligentia vestra per totam sphæram, licèt amplissimam, proprii motus; hoc est, regiminis, & imperii, diffundet effectus; si ultra eam, minimè protulerit. *Non sunt miscenda sacra profanis.* Certè, Magistratus, Gubernatores Urbium, & Provinciarum; Principes, Respublicæ, Reges Imperator, nimis multum præstabunt, si cuncta persolvant, quæ ab eis exigit proprii muneris, perquàm amplissima, & sublimissima ratio. Non est auctoritatis profanæ, sacra tractare; de Clero Regulari, vel non Regulari; de Ecclesiis, de claustris, de rebus, de redditibus, jam Deo attributis disponere. Deus ipse, *in cujus manu sunt omnium potestates, & omnium jura Regnorum*, discrevit terminos utriusque dominii, cum ait: *reddite ergò, quæ sunt Cesaris, Cæsari: & quæ sunt Dei, Deo. Nolite transire fines vestros*: ad vos pertinent, quæ cor-

corpus respiciunt;ad Episcopos, quæ animam, quatenus ad æternam felicitatem per Dei cultum, & obsequium, præmiis, privilegiis, defensione, coercitione, aliisque mediis opportunè dirigitur. Hoc fides catholica docet: qui aliter credit, hæreseos Anglicanæ sectator est; vel eam imitatur, si aliter agat. *Episcopi non quærunt, quæ sua sunt; sed quæ Jesu Christi*: Cui prorsus injuriam faciunt, qui eis obsistunt. Non est facile dictu, quantum in Indiis Orientalibus (ut ipse vidi) Principes Ethnici Archiepiscopatus Angamalensis revereantur Episcopos, jurisdictionem, immunitatem, & libertatem Ecclesiasticam. Turpe foret, minus apud nos deferri à Catholicis. *Nolite Spiritui Sancto resistere, qui regit Ecclesiam Dei*; nec velitis, minori zelo Episcopos eam tueri, quam vos vestra jura defendatis; aut proferatis. Nusquam legitur, temporale dominium detrimenta sensisse ab Ecclesia; sed passim in commentariis habetur, magna retulisse incrementa. Quod magis miror, est reperiri etiam aliquandò in inferiori Magistratu, & gubernio adversùs Ecclesiam, nescio quid æmulationis, ac zeli; ut se cohibere vix possint, quin eam directè, vel indirectè, clàm, aut palàm divexare contendant. Jura speciosè confundunt; auctoritatem Ecclesiasticâ majorem ostentant; utrumque Clerum subiicere satagunt; Episcopale Tribunal contemnunt; ejus Ministros deterrent; privilegiatos derident; & quam non habent auctoritatem, astu extorquent, cum Ecclesiæ, Præsulisve dedecore. Itaque propriam sphæram transgressi, alienam rapiunt; eâ prorsus confusione, quæ fieret, si Cœlum inferius, movere superius auderet. Non tamen errare putant se; sed Episcopos, si contranitantur:

tur : quorum postea sententias, si & ipsi Episcopi fieri possent (mutatâ cum munere mente) utique sequerentur. Oh, si ab habentibus jurisdictionem, quod natura docet observaretur! Nimirum, nulli facere, quod tibi fieri nolis : quàm rectè cuncta procederent! Penset quisque, quid faceret, si ea occasione Episcopus esset; ne quid agat, quod tunc nollet ab alio agi.

Humiliate capita vestra Deo, qui regitis Orbem; qui qualecumque habetis dominium, revereamini Unctos Domini; quia *hæc est gloria major imperio*; *si Ecclesiæ serviat Imperium*. Quæ superiùs ad populum dicta sunt, etiam vos tangunt: Oves estis de Grege Christi, non Pastores: Vinea Domini Sabaoth; non Agricolæ: Discipuli in Schola Christi, non Magistri: Milites in acie spirituali; non Duces: Ecclesiæ Subditi, non Prælati : Episcoporum Filij; non Patres. Ergo vestri muneris est, Præsulum non augere martyrium; sed minuere, solari, & juvare.

CAPUT XLI.

Ad Clerum Parænesis.

OMnes Ecclesiasticorum cœtus hic alloquor. Inter vos ille ordo resplendeat, quifulget in Cœlo inter Angelicas Hierarchias. In unaquaq; Diœcesi Hierarcha Episcopus est, cui vos omnes subesse debetis. Ab eo in vos lumen effunditur, & per vos Populo communicatur, verbo, exemplo, directione, vigilantia, prædicatione, sacramentis. Ill ius cooperatores estis,& coadjutores. Non ergo vos de cet, ei, vel minimùm

ad-

adversari, cujus ministerio fungimini, & adjutorio in pluribus indigetis. Ornamentum Religionis est (regularibus ex animo loquor) non detrimentum, erga sacrũ Antistitem, obsequium, reverentia, devotio. Recordemini, quomodo in hoc se gesserint Institutores vestri, & eos imitamini. Qui humilitatem profitemini;vix alibi eam æquiùs exercere potestis, quam ubi ab Episcopali charactere meritò exigitur. Nullus vestrum superbiæ notam, & execrabilis æmulationis effugiet, qui cum Episcopo contendere velit;qui eum deprimere studeat; qui adversùs eum loquatur. Ita fiet reliquo Clero, & Populo scandalum,qui positus est in exemplum.Ars pessima est, ut saltem æstimatione ascendas,Thronum contemptu reprimere,à quo aliquando tandem justè opprimaris. Hoc Deo placere non potest. Id profectò placebit,si martyrem Præsulem, oratione, consilio, auxilio,& exemplo vestro juveritis. Hinc honor, & laus apùd homines;hinc apùd Episcopum gratitudo;hinc apùdDeum præmium, & gloria in vos redundabunt. Sed religiosa pietas, hac exhortatione non indiget, & per se prona virtuti, & Episcoporum summa dilectione devicta. [a] Epist 152.

[a] *Insolentia Clericorum,cujus mater est negligentia Prelatorum; ubique terrarum turbat, & molestat Ecclesias:* scripsit Bernardus ad Innocentium.Secularis Clerus potiori jure (verius dixerim) omni jure proprio Antistiti subesse debet; ut capiti subsunt reliqua membra; unde vita,unde motus in ea descendunt. Ut in pluribus Diœcesibus observavi,putridum membrum est Clericus,qui à suo Episcopo contumaci rebellione sejungitur. Ejus vita,ipsius motus sunt contra naturalem mystici corporis dispositionem,quę tota in ordine sita est. Vide acum

nauticam; ſemper inquieta movetur, niſi polum reſpiciat, ad quem virtute magnetis naturaliter ordinatur. Ita Clericus (quicunque ille ſit) ſemper anxius, ſemper turbidus, à ſuarum paſſionum tempeſtate jactabitur; niſi præfixum illi à Deo ſydus humili ſubjectione ſemper intueatur. Si turbas excitet; ſi plurium conjurationem arte nexuerit; ſi Magnatum favore tumeſcat; ſi Potentum patrocinio fulciatur; ſi pecunia, ſi viribus; ſi denique ingenio polleat: quid tandem adversùs Chriſtum Domini conſequetur? Non certè plus, quam Dominus ipſe, aut volverit, aut permiſerit. Inferat Præſuli damna; id Vulpes, & Lupi Paſtoribus faciunt. Ab eo ſomnum excutiat: id culices viliſſimi præſtant. Honorem inficiat: id ſatagit Blatero, & fæmina prorſus infamis. Vitam eripiat: eripere poteſt, non modò aſpis, & vipera; ſed & fungus. Malefacere, proprium eſt Dæmonis. Ergò, & ſimiliter, qui mala molitur adverſus Epiſcopum, aut Dæmon eſt; aut non eſt Dæmone melior. Adversùs hunc Dæmonem plures habet Epiſcopus Angelos tutelares: hi occultos cuniculos, quos minas vocant, aperiunt; hi machinas rumpunt; hi dolos eludunt; hi cabalas, ſeu technas diſſoluunt. Ne timeas Præſul, *Angelis ſuis Deus mandavit de te*; *ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis*; ut inſidiatores tui *cadant in foveam, quam fecerunt*; ut eripiant te ab omni periculo, non corpore, ſed ſpiritu Martyrem glorioſum.

Nemo ſit in ordine Eccleſiaſtico ab ſuo Hierarcha diviſus; idem ſentiat; idem velit. Obſequatur; non jubeat. Sequatur; non ducat. Capiti adhæreat, ſed infra, non ſupra; quod Monſtrum eſſet. Ab eo nullis rationibus divellatur. *Probet ſpiritus; an ex Deo ſint. A*

Deo

Deo non est, qui Dominationi resistit; qui ab ea separat; alienat; abducit. Aliorum quæstus, promissa, lænocinia, blandimenta, non te decipiant; ut charitatem lædas; ut superiorem offendas; ut ab ejus pectore, vanis, ambitiosis, speciosis rationibus avellaris. Audi, & amplectere Sancti Eucherii ad Valerium prudens consilium. *Ad damnum propriæ salutis alienis non ducamur erroribus. Quid nobis in illo Judicio proderit multitudo, ubi singuli judicabuntur? Obsecro te delictum alienum semper, ut opprobrium respice; numquam ut exemplum.* (*Quid prodest tibi, si universum mundum lucreris, animæ verò tuæ detrimentum patiaris*? Id age, quod egisse pro Pastore, non contra Pastorem, te in morte non pænitebit. Hinc solus emigrabis, nullo amico, nullo socio, nullo collega stipatus. Mala duntaxat, vel bona opera feres; de quibus coram æterno Judice rationem reddes, Episcopo (si præmortuus fuerit) adstante, qui ejus vices hìc, à te fortèspretas, exercuit. Vir probus, docilis est, non agit perperam, contentiones refugit; superiorem veretur, & in eo, non hominem, sed Deum considerat præsidentem. Scit, *unamquamque rem duas ansas habere*; *portabilem unam*, *importabilem alteram* (ut Epitectus dicebat) eamque capit à prima, non à secunda. Præceptum exequitur, intentionem non respicit, quæ omnino videri non potest: & si fortè se malam apertè manifestat; exemplo Davidis à Saulo missi ad pugnandum contra Philistæos, ut periret; ingenti virtute obedire non renuit; non imitetur imperantis malitiam, sed boni subditi præstet obsequium.

Episcopus in præcipiendo habet assistentiam juris, quam ei subjectus in reluctando non habet. In dubio

illi

illi favet præsumptio, non huic; cujus est jussa non judicare, sed exequi; nisi certa sit injustitia: licèt semper liberum sit appellare, aut majores adire. Sacerdos obedientiam in solemni sua ordinatione promisit; disquisitionem in obediendo non reservavit. Actum de quiete, de salute subditorum; cum dicere audent, *se in hoc, vel in illo mandato ad obedientiam non teneri*; *vel illud à superiore præcipi minimè posse*. Indè bellum, quod justum utrinque non erit; & fas est putare, ibi justitiam adesse, ubi potestas, & auctoritas adest. Præsul proculdubio, Deum repræsentat; non ita subditus: qui subesse, non præesse debet; nec illi se parem facere; cui si par esset, sub ejus non esset imperio. Sciat autem quicunque cervicosus, & refractarius, neminem adhuc Sanctorum albo fuisse adscriptum, qui Prælato restiterit; qui exequi ejus jussa renuerit; quinimò semper illius salutem fuisse dubiam. Sibi ergò nocet; non Præsidi, cui tot nectit coronas, quòt ei præbet occasiones merendi.

Non ita, Filii; non ita; sed mementote Christi Domini, *qui factus obediens usque ad mortem*, *nomen illud promeruit*, *quod est super omne nomen*; *ut in nomine Jesu omne genuflectatur*, *Cœlestium*, *Terrestrium*, *& Infernorum*. Tantæ obedientiæ sequimini exemplum; ut meritum consequamini. Gloriosum erit obsequium, non verbis tantùm; sed & opere præstitum; cujus certissimè nunquam vos pænitebit; & vestro obsequio grande solatium eritis martyri Episcopo.

CA-

Caput XLII.

Ad Sanctæ Sedis Apostolicæ qualescunque Ministros, parænesis.

Nihil omninò est, quod magis levare possit, atque solari Episcoporum martyrium, quàm vestra pietas, Apostolicæ sedis viribus freta, si non contra eos (quod Deus avertat) sed utiquè pro eis steterit. Legite, precor, & seriò perpendite, quæ fusè pertractat Doctissimus Alexander Sperellus de hoc argumento in suo *Episcopo*, sub alio quidèm titulo; sed reverà in hunc finem. Fuerat ipse aliquando Romanæ Curiæ Prælatus, ac etiam Neapoli Nuncius Apostolicus; adeoque suo met exemplo, & experimento probavit, ut minister, & ut Episcopus, quæ ibi appositè digerit. Quia verò ea legere non omnibus vacat; hic quædam ex iisdem summariè, ac latinè delibo; vix quidquam de proprio subtexens.

[a] *Ministri Apostolici, si proprio muneri, & suæ conscientiæ, Christianæque charitati satisfacere velint, nec minimùm quid lædere debent jurisdictionem Episcopalem; quinimò eam pro viribus juvare, ac tueri. Sanctus Gregorius lib.9. qu.35. cap. pervenit, reprahendens Siciliæ defensorem; hoc est, Nuncium Apostolicum, qui causas ad Forum Episcopale spectantes in prima instantia judicare præsumpserat; sic ait: (nam si sua unicuique Episcopo jurisdictio non servetur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur)? Ad Sardiniæ verò defensorem, qui clericos contra Epi-*

a lib.2. c.15.

sco-

ſcopum tuebatur, ita reſcribit lib.7. ep.66. indic.2. (Ad eumdem Epiſcopum reverenter accede, & ſicut cauſæ meritum cognoveris; apud eum, non defenſor culpæ; ſed potius interceſſor exiſte.) Subdit autem, ubi gravamen ejus officium exigeret: (ſed ita ſervandum eſt; ut uniuſcuiuſque Epiſcopi reverentia, & Clericorum diſciplina per defenſionis tuæ experientiam minimè ſolvatur.) Qui Epiſcopalem auctoritatem minuere audet; Paſtoralem baculum frangit. Ligare manus Epiſcopi, eſt, Gregem Lupis relinquere; vitia promovere; errores excolere; ſacrum characterem, quinimò univerſalem Eccleſiam, cujus ſalus ab Epiſcopis pendet, turpi notâ inurere; ſchiſma quoddam inducere, ſubditoſque refractarios, & contumelioſos in Epiſcopum reddere.

Eccleſiaſticum Regimen Fretum eſt inquietiſſimum, procelloſum; ſcopulis, vorticibus, anfractibus, ſyrtibus plenum: quid ergò, ſi Nauclero auferatur de manibus clauus; aut durus fiat, & difficile mobilis? Quid, ſi pro libitu, & juxta ſibi datam à Domino ſapientiam, ſuique maris notitiam, vela expandere nequeat, remoſque movere? Vel in minima tempeſtate certiſſimè naufragus erit. Id autem in Epiſcoporum Principis, cujus præcipui Miniſtri vos eſtis, præjudicium redundat. Ita D. Gregorius lib.7. Ep.30. ad Eulogium Patriarcham Alexandrinum) nec honorem eſſe reputo, in quo fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco; meus namque honor eſt, honor univerſalis Eccleſiæ; meus honor eſt fratrum meorum ſolidus vigor. Tunc ego verè honoratus ſum, cum ſingulis quibuſque honor debitus non negatur. Idem, & clariùs repetit lib.7. ep. 14.indic.2. indiſcretos cohibens reorum Defenſores contrà eorum Epiſcopos (Ne (inquit) opinionem malè agentium,

ex

ex indiscretæ defensionis ansa in nos ullo modo transferamus.) Hæc, non modò Gregorii, sed cujusque Pontificis est certissima, expressaque mens, quam sequi, & exequi boni, prudentes, rectique sanctæ Sedis Apostolicæ Ministri tenentur: nè, si secus fiat, id eorum culpâ Summo Præsuli dici possit, quod D. Bernardus Epistola 177. Innocentio II. in persona Alberonis Archiepiscopi Trevirensis objecit: (vires, quas mihi subtrahitis, vobis minuitis; & contemptus meus, & dejectio mea redundat in vos.)

Si velint Episcopi suo muneri satisfacere; concubinatus rescindere debent; usuras auferre; abusus eradicare; cohibere potentes; coercere populum; clerum in officio continere; nocentes plectere. Hæc autem sinè strepitu, sinè clamore, absque obtrectatione, absque recursu fieri minimè possunt. Cùm ergò recursus, obtrectationes, clamores, strepitumque auditis; Episcopos, de quibus auditis, defendite; quia proprio muneri satisfaciunt: quod certè præstare ampliùs non poterunt, si vos resistatis. Excitate dormientes; nè vigilantes dormire audeant. Laborantes juvate; nè redigatis ad ocium. Succurrite pugnantibus; nè, aut cedere, aut fugere compellatis. Videte, nè vobis unquam conveniat illa Isajæ comminatio cap.5. (Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum.) Non vulgi, non procerum, non malignantium vos irruens turbo, vel levis aura decipiat; nam (ut Antonino Pio Justinus Martyr audactèr objecit) tantùm valent Principes opinionem veritati præferentes; quantùm Prædones in solitudine. Sanctus Carolus Borromæus nunquam disciplinam Ecclesiasticam in urbe maxima, & nobilissima reformasset, nec ea bona in eo Archiepiscopatu invexisset, nisi Roma favisset, nisi repulisset infinitas, gravissimasque

calumnias, & querelas, à Gubernatoribus, à Magistratu, à Clero, à Religionibus, à Populo in ipsum eò delatas. Nullus alius præstare quid simile, vel in modica Civitate unquam poterit; nisi, & ipsum quoque Roma foveat; eique faveat, nisi malignantes, & sycophantas, qui eum lacessunt, opportunè refellat. Ille Cardinalis erat, Pontificis Nepos, genere Princeps, famâ celebris, divitiis locuples, cognationibus potens: & tamèn vix agere potuit; nec adversante Româ prorsus egisset; quæ, ipsa favente, ac juvante, peregit. Quid ergo faciet; quid aliquandò perficiet Episcopus, tot, tantisque adminiculis destitutus; ni Roma faveat; si Roma restiterit? Plerumque plùs laboris in reformatione minimæ urbis, quàm in maximæ reperitur; non tam facilè advertente, aut coeunte maxima multitudine, ut minima. Sed advertat; sed coeat, fremat, exclamet, accuset; id non faciet, nisi in Episcopum vigilantem, in Præsulem operantem, in similem Carolo. In alium quemcunque fortasse tacebit,

Ne quæso velitis, quemlibet Episcopum, aut egregium Criminalistam, aut exactissimum humanarum legum; immò ipsarum apicum observantem: præsertim, ubi potentum minæ; versipellium astus; testium periuria; ministrorum, aut metus, aut fallacia, etiam notissimi criminis, & perniciosissimi, utcumque in actis veritatem abscondunt. Perpendite, quæ ipse Sperellus, omnium æstimatione doctissimus, loco citato §.2. vobis consideranda proponit; & videte, quàm excusandi sint Episcopi, qui potiùs veritatem facti, quàm probationem, tot artibus elusam, attendunt: & Deum, & scripturarum sacrarum testimonia, & propriæ conscientiæ regulas consulunt. Nùm omnes Episcopi Americani, & Indi, & omnes alii ab urbe longè remoti,

moti, & hi dumtaxat optim i sunt; de quibus ad vos nulla, seù rara, vel accusatio, v el appellatio defertur? Quoties idem Præsul, sede, auctoritate Apostolica permutata, in una, æquus, probus, & sanctus; in alia verò longè alius! Videte, ne sit aeris, aut climatis; non personæ diversitas: & utrobique (immò, & ubique) dignissimum ordinem, sacratissimum Characterem vestra protectione, vestra defensione dignemini; nè alicui vestrum dici possit, quod Sanctus Gregorius libr. 9. Epistola 32. cuidam suo ministro in hæc verba rescripsit: (Nuntiatum est nobis, quia quosdam Clericos, qui à Reverendissimo Fratre nostro Joanne Episcopo, exigente culpa, in pænitentiam missi sunt, nesciente illo, tua exinde auctoritate ejeceris: quod si verum est; rem te omninò inhonestam, & non leviter increpandam fecisse cognoscas. Eosdem ergò clericos Episcopo suo sine mora restitue, & hoc de cætero cave committere; quia si neglexeris, nostros te noveris non mediocriter motus incurrere.) Vestri Principis Fratres, vos ejus præcipui Ministri, pro vestri Principis dignitate, honorate, defendite; quantùm fas est, in eorum martyrio, vestra pietate, auxilioque vestro solamini.

CAPUT XLIII.

Ad Eminentissimos Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales pia Episcoporum Vota.

OPtimi Patres, Eminentiæ vestræ sublimitatem reveritus, vix loqui audeo. Nihilominùs, Episcopalis Characteris Sanctiss. Ordo fari compellit; nè dum undique validissimis adversitatibus impetitur, po-

tentissimo vestri favoris clypeo destituatur. Sfortia Pallavicinus, quondàm ingeniorum, & sacræ Purpuræ decus, hoc de sua, qua præditus erat, dignitate, fassus est mihi: *Certò credas (mi Præsul) Cardinalatus non est beneficium simplex; sed valdè curatum*. Quid igitùr de ipso Episcopatu sentiendum est; cum quilibet Episcopus Parochus sit Parochorum: quorum nomen officio conveniens meritò a cura desumitur! Cardinales ergò, & Episcopi sunt magni Curati; sed hi, ut potentiâ, & dignitate minores, ita sunt pænâ majores: qui propterea vestra indigent auctoritate defendi, ac fulciri: præsertim cum eorum cura non modò pastoralis; sed & bellica, & militaris existat. Quot Diœceses, tot Aciès habet universalis Ecclesia; quarum Duces Episcopi sunt; & hi semper in procinctu positi, quantò fortiùs dimicant, tantò acriùs impugnantur; & utinam dumtaxàt ab hostibus! at multò periculosiùs à propriis militibus, & à populo, pro quo pugnant. Ah! quotiès audiunt suas tubas, & timpana classicum in se personare! Quotiès vident adversùm se subjectarum Acierum expandi Vexilla! Quotiès experiuntur contra se subditorum arma torqueri! Hinc Episcoporum crudelius martyrium; quod nempè aggravat civile bellum, & intestinum, plerumque impiâ conspiratione succensum. Id variis tropis, & figuris hactenùs declaravi; & quale potui, solatium exhibui: majus tamen est, quod à vestra pietate: non expetatur; sed exhibetur. Favor vester, & auxilium compescit perduellium audaciam; temeritatem retundit; astus eludit; conatus elidit. Auctoritas vestra Episcopalem ordinem in statione confirmat; undè rebelles eos cadere: aut extrudere curat.

Nil

Nil magis satagunt, quàm dolis, ac technis eos reddere æquitati vestræ, si reos non possunt: saltem utcumque suspectos: noverunt enim eorum firmitatem à vestro Senatus consulto pendère: quod si maligna ipsorum industria deceperit, eam facilè ruituram existimant. Quid ni cadant singularum Ecclesiarum Præfecti; si eos Universali Ecclesiæ sacer, supremusque vester Senatus, aut pugnantes non juverit; aut non defenderit impugnatos? [a] *Hoc habet præcipuum Apostolica Sedes, ut non pigeat revocare, quod à se fortè deprahenderit fraude elicitum, non veritate promeritum. Res planè æquitate, & laude digna; ut de mendacio nemo lucretur; præsertim apud Sanctam, & summam Sedem.* Ita Bernardus. a *epist.* 180.

Ter maximus Constantinus, imperiali clamyde se Præsulem contecturum asseruit; si quandò fortè offendisset peccantem. Vestra Purpura, Eminentissimi Principes, æquiùs innocentes Episcopos justa defensione perornet; reos autem ita ulciscatur, ut Character Episcopalis eâ se tegi cognoscat: quod planè fiet, si strenuè tueamini insontes: sontes verò tàm cautè plectatis; ut in sacratissimum ordinem ultionis nota nullo modo redundet. Si qua fortè videatis exuberare incusantium animositatem; compescite: si mendaces reperiantur: ne sinatis impunè peccare; quandoquidem, si vera dixissent, utique multarentur Episcopi. Pessima, iniquissima, perniciosissima impunitas, quæ à bonis etiam Episcopis quietem adimit; dum eos nequissimorum hominum calumniis exponit! Id suis temporibus fieri deplorabant, gloriosus Ecclesiasticæ immunitatis assertor, Divus Thomas Cantuariensis; & disciplinæ itidem Ec-

cle-

clesiasticæ, fortis æmulator Bernardus Claravallensis. Hac nostra tamen ætate zelus vester, & æquitas omnem aditum huic malo præclusit; quod sua contagione robur Episcopalis auctoritatis enervat. Si tamèn vigilantia vestra erupisse aliquandò compererit; magnæ prorsus utilitatis erit, si obstruxerit alueos, cuniculos, aut rimulas, ex quibus irrepserit; & sycophantas ita mulctaverit, ut eorum pæna cunctos ab insana temeritate cohibeat. Hoc auxilio Præsulum fama servabitur, Populique subjecti ab omni audaciæ contagio sospites erunt. [a] *Integritas enim Præsidentium* (ut ait Sacrum Concilium Tridentinum) *salus est subditorum*. Non autem sufficit integritas vitæ, nisi etiam custodiatur integritas nominis. *Lucere debent Episcopi, ut lucernæ positæ super candelabrum*: quod autem aliquandò non luceant, non ipsorum culpa; sed plerumque vitium est malignantium; qui, aut nebulas offundunt, aut ventos excitant; ut lumen restinguant. Vestrorum Syderum benignus influxus eam pariat, & foveat in ordine Episcopali serenitatem; ut quiete fulgeat, subjectisque populis tranquillè præluceat: vix majus Episcopi possunt optare solatium.

a *sess.* 6. c. 1. de Refor.

Pro eis demùm loquatur Bernardus, & quæ de Metensi Ecclesia scripsit, hìc de omnibus dicta proponam [b]. *Ad hoc vos Deus in sublimitate posuit; ut tantò majori Ecclesiæ suæ utilitati vivatis, quantò in ea Eminentiori auctoritate praestis. Alioquin deponet ille Pater familias Potentes de sede, qui pro accepta potestate inventi fuerint suis utilitatibus defuisse. Quanta sustineat sponsa Christi damna in Episcopis, & si nos ampliùs horremus, qui patimur; tamen & Vos arbitror non latere. En quanti Lu-*

b *epist.* 308.

pi

pi Ovilia Christi, tùm insidiis, tùm manifestis assultibus quotidie moliuntur irrumpere, & disperdere Oves Christi sanguine congregatas! Idque, non ab heri, & nudius tertius; sed ex quo Lupi esse cæperunt, non cessant Dominicum gregem, quibus possunt viribus, infestare. Ego itaque, quod in me est, demonstro Lupos, instigo Canes. Jam, quid intersit vestra, vos videritis: meum non est, docere Doctores.

CAPUT XLIV.

Ad Sanctissimum Romanum Pontificem, Episcoporum Episcopum humilis supplicatio.

ET *Tu aliquando conversus: confirma fratres tuos*: ita Petro Christus mandavit, Prædecessori tuo, Romano Proto-Pontifici; nec ipsi tantùm mandavit; sed etiam Successoribus suis; cum id ei, ut Pastori, non ut personæ singulari, præceperit: & ergo Tibi quoque jussum est, *converti aliquandò, & confirmare Fratres tuos*: Consuetudo antiquissima Romanorum Pontificum semper fuit, Episcopos vocare *Fratres*; sive, quod eodem supremo, & sacratissimo Charactere à communi omnium Parente sint insigniti; sive quod Bonus ille Pastor, qui animam suam dedit pro ovibus suis, earumdem ovium Pastores, illos (eligendo) genuerit. Undecunque provenerit, eos tu, Sanctissime Pater, hac nobilissima nuncupatione dignaris; utque dignareris fortè idem Christus effecit, cum tibi, in Petro, *ut aliquando conversus, Fratres*, hoc est Episcopos, *confirmares*, præcepit. *Aliquandò* igitur, cum (scilicet) opus

opus fuerit, in opportunitate, magis autem in necessitate, *converti* debes, dignatione, seposita quodammodo Majestate, ac intermissa parumper cæterorum cura; & *Fratres tuos* Episcopos *confirmare*; quod est, sub sarcina labantes firmare, sistere; nè ruant adversitatum impulsu; roborare ut fortiùs in agone contendant; confovere jam fessos, eosque de manu potentum eruere; in martyrio solari.

Non Tibi opus est hac paraphrasi, Benignissime Pater, qui totum penè tempus tui Summi Pontificatus in hoc impendis, ut protegas, ut defendas, ut tuearis, ut soleris Episcopos, quos Fratres, non modò nuncupas, sed agnoscis, sed amas, sed juvas. Verùm successores tuos, non equidem moneo, sed prævenio; ut cum primùm ascenderint Petri Cathedram, hoc sciant à Christo eis præcipuè mandatum, quod *aliquandò conversi, confirment fratres suos* Episcopos; in suis Ecclesiis vim patientes, angustiatos, afflictos, longo, diro, pertinaci martyrio expositos. Quot quot Universalis Ecclesia per orbem universum complectitur oves, sacro Baptismate in Caulas Christi regenitas, & congregatas, Romanus Pontifex pascere debet: id tamèn per se solum præstare minimè potest; nec unus adesse Americanis Gregibus, Afris, Asianis, & in extremis Europæ, quinimò, & in Italiæ finibus, longè degentibus. Idcirco Episcopos eligit, quibus singulorum Gregum curam committat; & à quibus statis temporibus concrediti muneris exigat rationem: ut autem fideles habeat, non quoscunque, sed *Fratres* deputat, eâdem Christi charitate progenitos; utque boni Pastoris partes adimpleant, eos fovere, tueri, confirmare, confortare, ac solari debet, nè à Lupis, ac furibus,

ribus, cæterisque insidiatoribus, ac vastatoribus eorum Greges diripiantur, dispergantur, vorentur, & ipsos cedere; vel in spirituali afflictionis martyrio deficere fortè contingat.

Patriarchalis Caulæ Constantinopolitanæ strenuus Pastor Chrisostomus, à Fera pessima Imperiali procùl abactus à Grege, hoc unum fatetur in suis quammaximis calamitatibus habuisse solatium; quod à Pontifice Romano, Innocentio amaretur, & omni studio, ac pro viribus juvaretur: ad quem propterea hæc inter alia rescribit: [a] *corpus quidem nostrum uno, eodemque loco tenetur, & stabilitum est: animus autem charitatis ala in universo Orbe circumvolitat. Proinde, licet tanta itineris intercapedine separati simus; à pietate tamen vestra non absumus; quotidie vobis præsentes sumus: Animi enim oculis videmus vestram illam fortitudinem, & sinceram affectionem, constantiamque non mutabilem; & quod vos consolari nos plurimùm, & perpetuò cupiatis* (deinde) *Nam quantum in vestra pietate situm fuit, jam res omnes sedatæ, & emendatæ, & sublimata omnia scandala fuissent; gauderentque Ecclesiæ tranquillâ, & sinceâ pace, & essent planè secunda omnia; neque contemptæ leges, neque violatæ Patrum constitutiones forent* (denique concludit) *& idcircò iterum, atque iterum, & sepiùs vestram oro diligentiam; ut quantò major est tempestas, tantò majus adhibeatur studium. Expecto quidem futurum, ut aliquanto ampliùs corrigantur* (de suis persecutoribus loquitur) *Quod si minus fiet; vos vestram coronam paratam apud misericordem Deum habetis; & hi, qui injuriâ afficiuntur, consolationem ex incremento charitatis vestræ non minorem accipient. Nam, & nos tertium nunc*

a Tom. 5. Ep. 2.

annum in exilio versamur, expositi pesti, fami, bello, continuis obsidionibus, solitudini indicibili, quotidianæ morti, & Isauricis gladiis: & non mediocriter nos consolantur solida vestra fides, & charitas, quæ se in me, tam tenui, & simplice oblectant. Hic noster murus, hæc securitas, hic portus absque fluctibus, hic multorum bonorum thesaurus, hæc, lætitiæ, mirificæque voluptatis causa est. Quid ampliùs dici poterat de solatio, quo martyres Episcopi à Proto-Episcopo afficiuntur, cum ab eo fulciri, foveri, ac juvari se in tẽpore senserint! Quod autem magis exigit Summi Pontificis ad Fratres opportunam conversioné, ut ab eo confirmentur; id potissimùm est, quod omnes Episcopi ejus oves existunt; nec alium, præter ipsum habent Pastorem. Quemadmodum ergo cæteræ oves à suis Pastoribus immediatam, & specialem exigunt vigilantiam; ita Episcopi à Romano Pontifice; qui tales oves longè præ aliis æstimabiles, non minori studio curare debet, quam quilibet Episcopus suas: & sicut is non opilionum, aliorumque mercenariorum curæ, ac industriæ illas omninò dimittit; sed ipsemet propriâ pastorali solicitudine ducit ad pascua, & reducit; arcet insidias, prohibet injurias; medetur, & sanat: ita Pontifex oves illas, quæ alium Pastorem non agnoscunt, specialiori attentione, diligentiâ, & affectu ipsemet in omnibus complecti tenetur; presertim, cum in eas ferarum, latronum, Dæmonumque odium, rabies, astus præcipuè ferantur; nec eas vel minimùm lædere possint, quin & alias quoque oves illis commissas perdant, & mactent; quanquam non sine Pastoribus; tamen, illis utique lęsis, palantes. Impossibile igitur est, summum Ecclesiæ Pontificem pascere ovile Dominicum, quin Fratrum suorum

rum

rum exactissimam curam gerat; cum eorum bona, vel mala in sibi commissos Christi Greges opus sit redundare: sicut enim (ut ait Boetius de consolat. Philos.) *contingentes in Populos, Rectorum quodammodo beatitudo transfunditur*; ita etiam infelicitatem transfundi necessè est. Hac ergo de causa, qui omnia novit, Christus Dei sapientia, Petro, & Petri Successoribus imperavit, *ut aliquando conversi confirment Fratres suos*: & nos, qui sumus in eis designati, Fratres, Pastores, & oves; hac, tam necessaria confirmatione in ardua, & inquietissima nostra pastorali cura, in nostro spirituali martyrio, juvari, solarique deposcimus; [b] *ut habeamus Pontificem, qui possit compati infirmitatibus nostris*. Id petiit Divus Bernardus pro Episcopo Belvacensi ab Innocentio II. illis verbis: [c] *Fovendus est devotus Juvenis favore paterno; & zelus bonus, quem pro sua Ecclesia gerit, non modò approbandus; sed & juvandus. Sic se ipso in dies devotior, ferventior, fortior fiet, cum vexationes, & tribulationes, quæ illi Ecclesiæ nunquam desunt à malis hominibus, manu indeficientis auxilii vestri sibi senserit è regione levari*. Quod tunc pro uno Episcopo poposcit Bernardus; nunc ferè pro cunctis necessitas postulat.

[b] *Paul. ad Hebr. c. 4.*

[c] *Epist. 278.*

Episcoporum ad Deum Oratio.

IN persona omnium Episcoporum loquar ad te Dominum meum, ego pulvis, & cinis, in amaritudine animæ meæ. Quid est hoc, sapientissime Deus? Tu nos constituisti ovium tuarum Pastores, & cum Nobis earum curam demandas: *ecce ego* (inquis) *mitto vos sicut oves in medio luporum*? Quid est hoc? Pastores eligis ad

ovium custodiam ; & custodiendis ovibus eos assimilas? Tu nos misisti custodiri Gregem tuum ; & in medio luporum nos fore denuncias ? Ergo mittis Pastores tuos, sicut oves, non sicut Pastores : & neque ad oves ; sed utique ut oves in medio luporum. Sunt omnia plena misteriis. Da Sancte Spiritus, ex eis unum sapere, & intelligere. Pastores vis oves esse, qui ad similitudinem Christi primi Pastoris, *tanquam oves ad occisionem ducamur*, ut Dei victima, & Martyres : quia optimè nosti, pastorale officium martyrium esse. *In medio Luporum nos mittis*, ut manifestè sciremus, raras nos oves in ovilibus reperturos ; sed plurimos lupos, in quorum comparatione illæ, non paucæ, sed nullæ putentur. Ergone lupos ipsi pascemus, non oves ? Ità profectò, sed ut nostro pabulo faciamus de lupis oves, pasturi aliquandò, non greges luporum ; sed ovium. Id autem tunc fit ; cum patientiâ nostrâ, exemplo, & doctrinâ efferos animos mitescere docemus, ferinos mores deponere, vitia exuere, induere virtutes : Humanus enim animus naturam cum affectibus mutat, non in substantia, sed utique in mente. Ut autem, Tu Domine, in solis lupis eos omnes intelligis, qui oves tuas quoquomodo perdere possunt, & in Pastores insurgere : ità in ipsis lupis, non feras, sed homines feros designas quocunque vitio irrationales, & inhumanos. Ab his *æstimati sumus sicut oves occisionis* : ab aliis verò, qui, mutatis moribus, effecti sunt agni, ut Pastores agnoscimur, & vox nostra blandè percipitur. Hos pascere facilè possumus : alios autem de lupis in oves convertere, non est nostræ, sed tuæ solius virtutis, & gratiæ ; cui nequiores cedere nolunt, & pertinaces in malo, semper crudeliores velut oves nos insectantur, &

per-

perſequuntur. *Convertere Domine, & eripe animas noſtras; ſalvos nos fac propter miſericordiam tuam.* Intuere martyrium noſtrum; & libera nos, gregeſque noſtros à feritate luporum, inimicorum noſtrorum: ſeu potiùs, tuorum: mali enim ſunt, Paſtoreſque *percutere volunt, ut diſpergantur oves*: aut certè illos percutere, torquere non poterunt; quin hæ diſpergantur. Qui nos ergo *tanquam oves in medio luporum mittis*; ne (quæſo) dimittas: & da nobis tandem aliquando, ut gratiâ tuâ convertamus lupos in oves; & quos vitia lupos permanere coegerint, aut abige, aut cohibe. Oh! quot ſemper, & circumſtant gregem, & reperiuntur in grege! Nec deſunt, qui, ut nos, gregemque decipiant, ad nos *veniunt in veſtimentis ovium; intrinſecùs autem ſunt lupi rapaces.* Lupi ſunt omnes mali, & Epiſcoporum Tyranni; quin etiam, & tormenta, quibus Epiſcopos damnant, pro illorum diverſitate vitiorum. Audi nos, piiſſime Domine; audi, & exaudi: [a] *quoniam iniqui inſurrexerunt ſuper nos, & ſynagoga Potentium quæſierunt animas noſtras; & non propoſuerunt te in conſpectu ſuo: & Tu, Domine Deus, miſerator, & miſericors, patiens, & multæ miſericordiæ, & verax; reſpice in nos, & miſerere noſtri: da imperium tuum Pueris tuis, & ſalvos fac Filios Ancillæ tuæ*, Deiparæ Virginis, ac Matris noſtræ Mariæ. *Fac nobiſcum ſignum in bonum; ut videant, qui oderunt nos, & confundantur: quoniam tu Domine, adiuviſti nos. ET CONSOLATUS ES NOS.*

a *Pſal.* 85.

FINIS.

Auctor ei, qui legit.



Ualiter hoc opus elucubraverim, vix ipſe intelligo. Tentando illud cæpi; &, num procedere poſſet, verebar. Senecta; librorum, temporis, ingenii, memoriæ inopia; & copia ſolicitudinum, vel jam cæptum è manibus paſſim eripuère, vel ereptum reſumi non rarò prohibuère: ita ut quandòque oblivіſci contigerit. Etiam levis cura me occupat; quieti potiùs, quam negotio genitus; nec ſinit imbecillis animus rerum agendarum ordinem probè diſponere, ut cuique ſit locus; nè ſimul confundi; ſed per gradus expediri queant. Accedit quoque, in ſenio mens immatura, qua nil grave concipere; minus verò eniti poſſum, minimis aſſuetus. Qua igitur ego dignitati officio; tam ipſa mihi: nam longè impar minorem obruit, non ornat: Sic tamèn obrutus, per intervalla, & quaſi furtim ad opus regreſſus, illud tandèm abſolvi, & abſolviſſe, ac tam brevi, miratus, præcocem librum ſummorum Theologorum ingeniis, audactèr expoſui; quatenus eorum judicio rejectus, aut probatus, ſeù igni traderetur, ſeù prælo. Merebatur ignem, ſed nimia Cenſorum Pietas informem ita exornavit, ut dignum fecerit prælo evulgari. Quod igitur in eo lector minùs rectè, ac probè dictum inveneris; Auctoris ineptiæ tribuas, & parcas: quod verò ſcitè, ac ſanctè exaratum repereris, Deo primùm, dein cenſoribus referas, & utroſque collauda.

Animis ipſe ſcripſi; non oculis, aut auribus: adeòque non

non pulchris coloribus, non dulci ſono, ac ſuavi, ſed rationibus opus implevi, quibus Epiſcopi mens in omni præſſura lætari poſsit, & gaudere; captura ex ſolatio vires; nè in agone deficiat. Certè aliquid mihi debent nobiliſſimi Præſules, quod eos utcumque ſolari præſumpſerim; unum repto: parcant bona fide audenti; & ſuis precibus ita juvent, ut & ipſe de agone ad coronam tutè perveniam.

Non poterant pœnarum genera exponi, quin earum cauſas, ac Miniſtros perſtringerem, ex quibus habent noſci, & diſtingui. Neminem tamèn lædere intendi; ſed etiam, eos, qui ſe propriæ conſcientiæ teſtimonio ſenſerint lęſos, acri, ſed opportuna perſtrictione ſanare (ipſorum ſcilicet, malam voluntatem; qua nullus morbus perniciosior) ut, depoſitâ omni malitiâ, ſani ſint in dilectione; præſertim erga Paſtores, qui pro eorum ſalute ſe impendunt, ac ſuper impendunt; parati etiam mori pro eis, Chriſti præcepto. Quod igitùr ex charitate procedit, nullus iniquæ origini adſcribat; nec proprio vitio fontem inficiat de vena ingenuæ intentionis manantem. Tergere velim: portare, laticèque ſalubri ſoſpitatem largiri: non quemquam notis inficere; non avertere ſitientem; non ægritudinem faſtidienti ſtomaco afferre.

Quamquam verò apùd homines id teſtari non verear: apùd Deum, qui cordis latebras clarè intuetur minimè audeo, eum propterea ſępiùs obſecrans, ut quidquid in opere, aut in animo erratum eſt, benigniſſimè parcat: & ni cedat labor in ſuam laudem; in Pręſulum conſolationem; in ovium utilitatem; in mei ſalutem; opus elaboratum potenti manu diſperdat, incendat, abſumat, ac de omnium memoria, æternâ oblivione revellat.

Hoc

Hoc tandèm monendum cenſeo, quod quemadmodum captus amore alicujus pulcherrimæ Virginis, in eum vehementèr iraſcitur, qui ab illius amplexibus impudicum amatorem, difficultatum, periculorum, pœnarum metu, arcere conatur: ità quoque Prȩſulatus fulgore captus, ejus, & ſcripta, & dicta ingenti odio inſectabitur, quem noverit improbare tantȩ ambitum dignitatis; eamque tot ſpinis ſeptam oſtendere, ut impoſſibile videatur, illam abſque ſanguinis effuſione complecti. Sed utinam hic *ſaperet*, *& intelligeret*; *& noviſſima prævideret*! Quantùm in me eſt; nullam ibi, ab eo, vel à quovis alio, pœnam formido; ubi ſpero de Epiſcoporum conſolatione ſolatium.

Authoris Proteſtatio.

UBi fortè in hoc Opere cujuſquam virtutes, & merita celebro, qui ab Eccleſia inter Sanctos, aut Beatos non ſit adſcriptus; auctoritate privatâ id facio, quæ nullam prorsùs publicam parit fidem; eam ipſe penès Relatores, à quibus audivi, omninò relinquens; ut Decretis religiosè paream Sacræ Univerſalis Inquiſitionis Romanæ; anno 1625. 1631. 1633. ſub Urbano VIII. emanatis.



LAUS DEO.

